



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

35,–167. DA BOL

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

ORATIO=NES TRES HI-ſtoricæ, eruditæ, inſignes & patheticæ,

DE OPTIMO AC BEATISSIMO EX HAC *vita diſceſſu Sereniſſimi Principis Domini*

CHRISTIANI III.

Daniæ & Noruegiæ, Sclauorum & Gottorum Regis, &c.

Denuo recognitæ, ac typis excuſæ

In officina typograph. Elect. Saxon. Dresdæ, Anno

M. D. XCIIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

ILLVSTRISSIMIS
& inclytis Principib. ac Dominis,
Domino
CHRISTIANO,
Domino
IOHANNI GEORGIO,
Domino
AVGVSTO:
Ducibus Saxoniæ, Lādgrauijs Thuringiæ, Marchionibus Miſnię, & Burggrauijs Magdeburgi, &c. Dominis ſuis clementiſſimis.

TAM SACRÆ, quàm profanæ hiſtoriæ teſtantur, Illuſtres & Inclyti Principes, Domini clementiſsimi, homines conditos eſſe à DEO ad ſocietatem, vt in ea DEO Opt. Max. Eccleſiæ ac Reipu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

blicæ ſeruiant, vtq́ alter de altero pro virili ſua bene mereatur. Ideo videmus viros pios, doctos & ſapientes ſuo loco operam dediſſe fidelem, vt Eccleſiam ac Reſpub. ſtudio iuuarent indefeſſo. Quemadmodum probant diligentiſſimæ multorū præſtantiſſimorum Theologorum lucubrationes, aliorúmq́ doctiſſimorum virorum eruditæ παραινέσεις, qui animaduertentes quodammodo decidiſſe flores de liberali inſtitutione & erudita doctrina, ac propterea à iuuentute ſtudia pietatis & honeſtatis minoris fieri ac penitus contemni, & perpendentes communem Eccleſiæ ac Reipub. Chriſtianæ ſalutem, ex ſolerti ac fideli diſciplina promanantem, nihil omittunt vel admonitionum vel præceptorum, quibus Illuſt. Cels. V. mentes veritatis cognitione inſtitui, & voluntates

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

*luntates ad recta & laudabilia perſe-
quenda conuerti poſsint: & hoc modo
publicis ſcriptis calcaria quædam in
ipſo ſtudiorum curſu felici addunt, per-
inde ac olim bene & verecundè Ma-
mertus, ad collegam & iuuentutem te-
neram ſcribens, his verbis excitare &
inflammare ſtudet:*

Quantò maior ab his cedet tibi gloria cœptis,
In quibus & linguam exercẽs mentem quoq;
ſanctam
Erudies, laudemq; ſimul vitamq; capeſſes.
Dumq; legis catus, & ſcribis miracula ſummi
Vera DEI, propior diſces & carior ipſi
Eſſe DEO.

*Vbi vir ille prudens non ſolùm non
reijcit aut damnat literarum ſtudia,
ſed eadem vult ſummo DEO & ho-
minum ſaluti ſeruire: in quo quidem ſa-
pit maximè, & conſulit ei, ad quem
ſcribit, ſapientiſsimè.*

Stupidum itaque καὶ πάνυ ἄμουσον
hunc eſſe oporteret, qui non delectare-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

tur Illuſtriſs. Cels. V. conatu laudabili, audiens illas ſuauiſsima & dulciſſima copulatione Gratias Muſis (quod dicitur) miſcere, & ſymbolum illud Alexandri Magni crebrò repetere: Præſtat virtute & diſciplinis antecellere, quàm opulentia. Qua in parte haud plura commemoranda arbitror, ſiquidem in hac ἐργασίᾳ Illuſt. Cels. V. ſummos ac feliciſsimos habent directores ac gubernatores cùm vitæ, tùm ſtudiorum: inprimis Illuſtriſsimum Dominum FRIDERICVM VVILHELMVM Ducem Saxoniæ, & Adminiſtratorē harum terrarum clementiſsimum: Dominum IOHANNEM GEORGIVM Marchionem, & Electorem Brandeburgenſem potentiſsimum: inclytam, omniumq́ virtutum illuſtrium matronarum

narum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

narũ quodammodo florem, Dominam matrem veſtram SOPHIAM, quã miſericors & miſerator DOMINVS diutiſſime ſeruet ſuperſtitem & incolumem: verè generoſum ac doctiſſimũ Comitem, Dominum Ioachimum Andream Schlick, ad omnia præclara & ſumma natum, & ex proſapia generoſi & inclyti Dn. Caſparis Schlick oriundum, quẽ conſtat trium Imperatorũ Sigiſmundi, Alberti & Friderici III. Cancellarium fuiſſe laudatiſs. cuius, vt & aliorum præſtãtium in illa familia Heroum, egregia & præclara facta monumentis hiſtoricis commẽdantur, inprimis Stephani Comitis, qui vitam hanc mortalem cum immortali commutauit ſub Rege Ludovico, illam pro patria, fundens in Vngaria.

Scilicet hunc pietas, Regis fauor, inclyta virtus
Orbarunt patria, coniuge & imperio.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

vt habet Epitaphium in vallibus Io-
achimicis prope ſacram ædem poſitum,
à clariſs. & pientiſsimo ſene, Dn. D.
Ioanne Nævio, trium Principum Sa-
xoniæ ἀρχιάτρῳ fideliſsimo, compoſi-
tum. Magnificum etiam conſultiſsi-
mumq́ Iuris vtriusq́ Doctorem Dn.
Dauidem Peiferum Cancellarium di-
gniſsimum, ac Herculeos ferme labo-
res ſuſtinentem, τῷ θεῷ καὶ ταῖς μούσαις
φίλτατον. Prudentiſsimum inſuper &
conſtantiſs. Dn. D. VVolffgangum
Eilebeccium, Illuſt. domus Saxonicæ
Conſiliarium multis annis, ac Procan-
cellarium digniſsimum, veræq́ ac ſin-
cerioris, hoc eſt, Lutheranæ doctrinæ
aſſertorem ſtrenuum. Vera etiā ſtem-
matis & antiquæ virtutis nobilitate
generoſos, claros & ſpectatos viros,
Dn. Chriſtophorum à Los Marſchal-
lum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

*lum, ſacriq́; Romani Imperij Ratio-
num Magiſtrum: generoſiſs. Domi-
num Burcardum Schenk: aliosq́; ex-
cellentiſs. & præſtantiſsimos, vereq́;
nobiles conſiliarios, non tantúm Came-
ræ, ſed & Curiæ: Dn. Chriſtopho-
rum à Berbisdorff, Dn. Ottonem à
Tettenborn, Dn. Iohannem Badehor-
niũ, Leonhardum à Milkaw, Theodo-
ricum, Georgium, et Albertum VVolff-
gangum Schleinicios, antiquiſsimæ &
nobiliſsimæ harum terrarum familiæ,
longo annorum ſpacio optimè de illu-
ſtri domo Saxonica meritos: VVolff-
gangum à Litticha w, ſtemmatis &
virtutum nobilitate, eruditaq́; doctri-
na celebrem: Georgium Vdalricum
ab Ende, variarum linguarum & hi-
ſtoriarum peritiſsimum, quondam aſ-
ſeſſorem Cameræ Imperialis laudatiſs.*

 Eſaiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Eſaiam à Brandſtein: multiplici do-
ctrina, ac rerum experiẽtia inſtructiſ-
ſimum, Dn. D. Ioannem Georgium
Gödelmannum, Dn. D. Sigiſmundum
Röling, Dn. D. Iohannem Lauterba-
chium, ſacræ Iuſticiæ defenſores acer-
rimos, optimos & fideliſſimos: Doctiſ-
ſimum & ſolertiſs. Dn. Eliam Rein-
hardum, quem ILLVSTRIS-
SIMI TVTORES Præceptorẽ
ſancti voluere parentis eſſe loco. Ali-
osq́ue ſummos & præclaros nobilitate, au-
toritate, & dignitate præditos viros,
quorũ nomina, publicis & priuatis ſcri-
ptis Ill. Cels. veſt. notiſſima, ſciens præ-
tereo: ſiquidem in confeſſo eſt, illorum
animos quaſi ad vnicum hunc ſcopum
directos, vt ſtudia Illuſt. Cels. V. ad
felicem & optatum finem auxilio &
opera eorum fideli perducantur. Ho-
rum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

rum omnium, vti & plurimorum in hoc territorio doctiſsimorum virorum, præſertim reuerendi & clariſs. viri Dn. D. Polycarpi Lyſeri, Profeſſoris ſacroſanctæ Theologiæ, ac Superintendentis Generalis VVitebergenſis & Brunſuicenſis Eccleſiæ, nunc verò Elect. Sax. domus concionatoris fideliſsimi & conſtantiſsimi, fides, candor & integritas me quoq; minimum inter Chriſti miniſtros impulerunt ad euulgandas has pijſsimas & eruditiſsimas orationes, atq; Veſt. Cels. Illuſt. dedicandas: hortantibus etiam & ſuadentibus idem viris magnis & cordatis, Veſt. Cels. & vniuerſo populo placentibus: quiq; de ſalute harum regionum & Eccleſiarum, à fermento Sacramentariorum, & lue Caluiniſtica fideliter repurgatarum, admodum ſoliciti ſunt,

optan-

optantes ad manus haberi plures huius generis orationes lectu non indignas, de monumentis ac rebus piè & feliciter geſtis Maiorum Veſt. Cels. Proaui inprimis veſtri paterni feliciſsimæ ac beatiſsimæ recordationis, Diui illius CHRISTIANI III. ἐν ἁγίοις ἤδη, olim ſereniſs. ac illuſt. Regis Daniæ, Noruegiæ, Sclauorum & Gottorum, Ducis Sleſuicenſis, Holſatiæ, Stormariæ, & Ditmarſiæ, Comitis in Oldenburg & Delmenhorſt: quibus orationibus hiſtoricis ſuccinctè conſcriptis, vtpote veritatis teſtibus, juniorum Principum aliorumq́ animi ad virtutes, humanitatem, manſuetudinem, pietatem & timorem Domini accenderentur. Eſt enim, juxta Ebræum ſapientem, Timor Domini initium Sapientiæ, Et PIETAS, ſecundùm Apoſto-

poſtolum, ad omnia vtilis, ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης. Id quod verè ac rectè de pientiſsimo illo Rege Chriſtiano III. ſcriptis & voce aſſeuerari poteſt : ſiquidem egregiè illi competit aureum illud D. Ambroſij encomium de Theodoſio Imperatore: Dilexi virum: (inquit Ambroſius, Theodoſium intelligens) qui cùm corpore ſolueretur, magis de ſtatu & ſalute Eccleſiarum, quàm de propria, aut ſuis periculis, angebatur. Sic pius ille ac verè Chriſtianus Rex vnicè in vita & agone ſolicitus fuit, vt ante migrationem ex hac miſeriarum valle in patriam cœleſtem ſedesq́; beatas, Eccleſias & Scholas, quàm optimè in ſuis regnis conſtitutas, poſteris florentes relinqueret. Igitur & lecto hærens, nunc de Eccleſiæ & Miniſtrorum re-

diti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

ditibus ac ſtipendijs ampliandis, nunc
de Scholis aperiendis, nunc de noſoco-
mijs decreta noua (vt adiunctæ oratio-
nes luculentiſsimè teſtantur) conſti-
tuit. Adeò Rex ſanctißimus etiam
tum, cùm animam penè ageret, (vt di-
ximus) Eccleſias & ſtudia diſcentium
ſuis conſilijs & decretis vsq; ad extre-
mum vitæ ſpiritum regere ac promo-
uere conatus fuit. Sed deſino plura de
eo commemorare, cùm nemini non cō-
pertum ſit, hunc gubernatorem ſum-
mum ea pietate & prudentia antecellu-
iſſe, vt ab hoc vno omniū rerum egre-
giarum, virtutum præſtātißimarum,
ac veræ pietatis & timoris Domini
exempla deſumi poſsint. Quamob-
rem Illuſt. & Generoſiſs. indolis Prin-
cipes, Dñi clementiſsimi, Cels. Veſt.
ſubiectiſsimè etiam atq; etiam rogo, vt

hanc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

hanc qualemcunq; opellam, qua memoriam tanti Monarchæ, citra autorum vel vllius contumeliam, ab interitu & obliuione vindicare conatus ſum ſuaſu doctiſsimorũ virorum, qui Veſt. Cels. Illuſt. à conſilijs ſunt, ac ſaluti, proſperitati & ſtudijs veſtris optimè fauent atq; cupiunt, gratam acceptamq; habere, ſereno vultu accipere ac perlegere non dedignentur, quò tot pulcherrimarum virtutum cognitione imbutæ, inſtar Regis Salomonis regni habenas capeſſentis, (vti nuper ſub illuſtri prãdio admonitæ ſunt) in feliciſsimum gubernationis ſtatum cum admiratione intueri, & ad ſimilia heroum facta laudabilia excitari, Maioresq; veſtros, doctos & fortes viros, tantis & tam præclaris animi dotibus exæquare valeant.

Ani-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Animaduerti enim vnà cum alijs in eodem prandio ex pijs & ſalutaribus colloquijs, Illuſt. Principes, magna & præclara de Celſ. Veſt. Reipublicæ Chriſtianæ optimos quosq;, propter bonam de indolis virtutumq́; præſtantia conceptam ſpem, his regionibus & Eccleſijs Lutheranis polliceri: ea animis noſtris infixa, ne Antagoniſtarum iniuria fortè labefactetur, ac inde prorſus euellatur, Deus ter Opt. Max. pro ſua in nos clementia & fauore benignè prohibeat. Ideoq́; publicè ac priuatim ſeriò & ardenter precamur Deum, æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt Illuſtriß. Celſ. Veſt. cum Illuſtrißma & inclyta Domina matre SOPHIA, vera & ſalutifera agnitione, atq; integra & conſtanti veræ pietatis religione, legitimoq́; Sacramen

torum

torum vſu juxta Chriſti inſtitutionem imbutas, quotidie adaugeat, & quàm diutiſsime in ijs ſaluas atq; inuiolatas conſeruet: in omnis generis emolumenta præclara & ſalutaria Eccleſiæ & patriæ, felici ac longæua vita donatas, regat, tueatur & defendat: vtq; gubernatio Illuſtriſsimorum TVTORVM, hiſce præſertim jnſtantibus Comitijs, atq; eorum, qui illis ſunt à conſilijs, felix ſit & ſalutaris: ac regimen, diuina benedictione florens, ab omnibus hoſtium incurſionibus tutum permaneat: vt porrò ſub vmbra Illuſtriſ. domus Saxonicæ etiam veræ Eccleſiæ hoſpitium & halcyonia contingant, per & propter eundem DOMINVM & ſeruatorem noſtrum IESVM CHRISTVM, AMEN.

Dreſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Dreſdæ Dominica ſanctæ, adorandæ, ac ſemper benedictæ Trinitatis, Anno Domini M D X CIIII.

Illuſt. Cels. Veſt.

Subiectiſſ.

M. Theophilus Glaſer,
Eccleſiæ Dresdenſis Paſtor ac Superintendens.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

PRIMA ORATIO DE OBITV SERENISSIMI

Principis CHRISTIANI III. Daniæ & Noruegiæ regis, recitata Othoniæ 13. Februarij anni 1559. cùm funeris exequiæ celebrarentur,

à

D. Iacobo Bordingo

ipſius Medico.

MAGNA LAVS eſt Ezechiæ regis Iuda, qua cæterorũ regum omnium, qui vllis vnquam temporibus fuerunt, gloriam ſuperauit: quòd ſolo Domino Deo Iſrael confiſus, ſtatim initio regni ſui, templum Domini aperuit, purgauit, & ſanctificauit: cùm idolorum cultu ſublato, æneoq́ ſerpente, qui adorari iam cœperat, contrito, veram de Deo doctrinam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

veroſq́ cultus Eccleſiæ reſtituit: & recollectis vndiq; ſacerdotibus ac Leuitis, quos ſuperiorum regum furor diſſiparat, populum vniuerſum ad celebrandum Paſcha conuocauit.

Eſt & illud laudum ipſius non minima pars, quòd nemini bellum prior intulit, ſed comparatis tantùm ad defenſionem armis, populum ſibi commiſſum aduerſùs iniuſtam vim protexit: piam pacem rebus omnibus anteposuit, eamq́ omni argento, quodcũq; vel in ipſius fiſco erat, vel ex templi diuitijs corradi poterat, redimere conatus eſt. In repellendis autem blaſphemis hoſtibus, qui Deum ipſum contumelia afficiebant, labores, bella, & pericula nulla reformidauit: ſed ſolo Domino Deo Iſrael fretus, & Prophetæ Eſaiæ voci obtemperans, omnes minas, omnesq́ impetus magno excelſoq; animo ſuſtinuit. Quare mirabili rurſus Dei auxilio adiutus, glorioſas victorias conſecutus eſt: cæ-

ſisq́

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

ſisq́ vna nocte ab angelo Domini Aſſyriorum, qui vrbem Ieroſolymam obſidebant, centum octoginta quinque millibus, inuſitatum omnino triumphum egit, habuitq́ deinceps regnum pace, opibus, rebusq́ omnibus florentiſſimum.

In aduerſa & deplorata valetudine, cùm certam ei mortem Eſaias denunciaſſet, non ſine multis lachrymis ad Deum conuerſus, ab eoq́ ſolo liberationem petens & expectans, illud rurſus impetrauit, vt ad definitum iam vitæ terminum quindecim anni adijcerentur. Etſi autem de promiſſione Dei, vitaq́ longiore minimè dubitaret: nequaquam tamen medica auxilia propterea contempſit, quò minùs hulcus, quo laborabat, cataplaſmate ex ficis curari pateretur.

Verùm in ſumma hac felicitate & gloria, cùm ſolis etiam curſus ipſius cauſa retardatus eſſet, viciſſimq́ regibus iam eſſet admirabilis, animo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

nõnihil elatus, nõ ea, qua debuit, modeſtia ingentia hæc Dei beneficia agnouit: promeritusq́ etiam eſt, vt pœnis aliquibus caſtigaretur. Cæterùm cùm agnito peccato, rurſus ad Dominum confugeret, orando illud obtinuit, vt imminentes iam pœnæ differrentur, ipſeq́ publicarum miſeriarum ſpectator non eſſet.

Hanc ſanctiſſimi regis hiſtoriam, ſacrarum literarum monumentis copioſè ſatis explicatam, breuiter ac ſummatim ideo recenſui, quia expreſſam atq́ omnino ſimilimam imaginem eius nuper vidimus in optimo rege noſtro CHRISTIANO III. quem vt, propter ſummas eius virtutes, ſummamq́ pietatem, & paternum erga nos ſtudium, vnicè dilexi- mus, ita eiuſdem obitu in magno nunc luctu & mœrore ſumus.

Ideo autem prodeſt vitam eius & mortem ſempiterna memoria crebriſq́ præconijs celebrari, vt nos pro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

collatis per ipſum in Eccleſiã & rempublicam beneficijs ardentiùs Deo gratias agamus: eaq́ pie moriendi forma, quam pulcherrimam nobis reliquit, ipſi quoq; vtamur: qui verò deinceps ſucceſſuri ſunt reges, domeſticum quoddam optimi Principis exemplum habeant, quod imitentur.

Etſi autem vita eius multis excellentibus virtutibus ornata fuit, nos tamen non omnia, ſed ea tantùm commemorabimus, quæ cum propoſito Ezechiæ exemplo maximè congruunt: pietatem eius inſignem, paciſq́ ac tranquillitatis ſtudium: quæ tandem felix ac tranquillus ex hac vita exitus conſecutus eſt. Integram vitæ eius hiſtoriam, bella feliciter geſta, totumq́ politicæ gubernationis curſum deſcribent ij, quibus & res & conſilia eius nota ſunt, & ſcribendæ hiſtoriæ cura mãdata eſt. Nos præcipua dicta eius & facta, quorum proximo hoc biennio in quotidiana conſuetu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

dine auditores & ſpectatores fuimus, quæq; proximè mortem eius anteceſſerunt, optimumq; Principem eum fuiſſe teſtantur, breui oratione (longam enim luctus noſter non fert) perſequemur.

Primùm itaq; ſingularis eius erga Deum pietas, quæ ipſum non nomine tantùm, ſed re etiam vera, Chriſtianum fuiſſe declarauit, in eo eluxit maximè, quòd, ſimulatq; ad regni gubernacula admiſſus eſſet, repurgandæ religionis & conſtituendarum Eccleſiarum curam ſuſcepit. Intelligebat certè iam tum pius Princeps, imperia omnia à Deo regi, nec potentiam vllam firmam eſſe aut ſtabilem, quæ diuinis præſidijs non niteretur: fruſtra cuſtodiri ciuitatem, quam Dominus ipſe non cuſtodit.

Prima igitur hæc eius cura, hoc ſtudium fuit, vt portas aperiret Chriſto: & regna hæc, quibus gubernandis à Deo præfectus erat, puram Euange-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

lij doctrinam amplecterentur: ſimulq́;
extremæ illæ terræ, longiſsimis ma-
rium interuallis diſsitæ, Gotlandia,
Islandia, Pharenſes inſulæ & vltima
Noruegia, quæ dira ſuperſtitione iam-
dudum fuerant oppreſſæ, nunc pri-
mùm poſt hominum memoriam, ac-
cepto Ieſu Chriſti Euangelio, veræ
Eccleſiæ Dei hoſpitia fierent. Sic
itaque templum Domini aperuit,
idemq́; cum Ezechia purgauit & ſan-
ctificauit, cùm non ſine magnis labo-
ribus & periculis, multorumq́; poten-
tum in ſe concitatis odijs, inuetera-
tam illam multis iam ſeculis Papiſti-
cam idololatriam penitus ſuſtulit ac
profligauit: tandemq́;, quod Pater i-
pſius (piæ ac felicis memoriæ) Frideri-
cus I. ſeriò tentarat, perfecit, vt vera
de Deo doctrina, variè priùs adulte-
rata, multiſq́; tenebris inuoluta, pura
iam & ſincera Eccleſijs reſtitueretur:
ſimulq́; cum doctrina pij ritus, vtileſq́;
ac decentes ceremoniæ introduce-
rentur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Ne verò facilè rurſus corrumpi doctrina poſſet, omneſq́ intelligerent, ex quibus illa fontibus manaſſet, & quibus fundamentis niteretur, ſacra Biblia à ſolo Spiritu ſancto profecta, & quamuis neglecta iacerent, ſingulari tamen Dei beneficio ab interitu vindicata, atq́ inter tot hæreticorum & hoſtium Chriſti monſtra ad hæc vſq́ tempora reſeruata, ſumma diligentia ac fide in Danicam linguam verti, vtq́ ab omnibus legerentur, typis elegantiſsimis excudi curauit.

Cùm porrò animaduerteret, diuturnum minimè fore Eccleſiæ ſtatum, niſi ei ſchola aliqua adiungeretur, quæ veluti ſeminarium quoddam eſſet doctorum hominum, per quos doctrina cœleſtis, cæteræq́ bonæ artes, continua ſerie ad omnem poſteritatem propagarentur, Hafnienſem Academiam ferè iam collapſam inſtaurauit, eiq́ opima prædia & ve-

ctigalia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

ctigalia certa attribuit, ex quibus honeſta ſtipendia profeſſoribus penderentur: & quantum humana prouidentia efficere poterat, ea addidit priuilegia, tabuliſq; & fide publica ita omnia firmauit, vt ſpes ſit duraturam eſſe doctrinam & formam Academiæ ad longam poſteritatem.

Ad hæc autem feliciter perficienda, conſilio & opera vſus eſt doctorum hominum: cuiuſmodi etſi nonnullos in ſua gente haberet, vt D. Petrum Palladium, qui adhuc Danicis Eccleſijs feliciter præeſt, D. Iohannem Senningium, D. Chriſtiernum Morſianum, & alios quoſdam, quos recenſere nihil eſt neceſſe: nihilo minùs tamen è VViteberga peregrinos etiam accerſiuit, D. Iohannem Pomeranum, à quo etiam regium diadema capiti ſuo imponi volebat, D. Tilemannum Huſenium, D. Iohannem Macabæum: qui omnes cùm à ſanctiſſimo viro D. Martino Luthero

inſtituti eſſent, pietate, doctrina, & iudicij rectitudine excellebant.

Huiuſmodi virorum frequentiam non exiguum regni ſui decus eſſe exiſtimabat. De Haffnienſi verò ſchola ſæpe ita gloriari ſolebat, vt diceret, vix vllum maius ſe regni ſui ornamentũ habere: eius præſidio veram religionem, veramq́ue de Deo doctrinam, in his regionibus hoſce annos aliquot incorruptam manſiſſe: quæ certè iamdudum, ſi ſchola nulla fuiſſet, multis modis iterum fuiſſet deprauata.

Nuper Coldingæ, Cimbricæ Cherſoneſi oppido, paucis ſeptimanis antè, quàm ibidem moreretur, cùm labentibus paulatim viribus, valetudine eſſet parùm firma, extremumq́ue vitæ diem imminere ſibi iam ſentiret, nulla alia cura æquè afficiebatur, quã Eccleſiarum ac ſcholarum, quas & bene conſtitui, recteq́ue conſtitutas perpetuò manere optabat. Quare & in ſenatu, & cum Epiſcopis re delibera-

ta, hæc poſtrema decreta fecit. Primùm, vt pauperum ratio haberetur, & ſi quæ neglecta adhuc eſſent xenodochia, ea vt ante omnia inſtaurarentur. Deinde, vt etiam in minoribus oppidis ludi literarij aperirentur: Eccleſiarum paſtoribus, quibus ad neceſſarios ſumptus rei familiaris non ſatis ſuppeteret, ſtipendia augerentur: Superintendentibus autem prædia certa aſſignarentur, quorum fructibus honeſtè ali, & egentibus eleemoſynis ſuis ſubuenire poſſent.

Eodem ferè tempore, cùm in Academia Haffnienſi Profeſſoris Theologi locus adhuc vacaret, ex quo reuerendus vir D. Iohannes Macabæus, lector doctrinæ Dei, Eccleſiæ & regi inprimis carus, nuper defunctus deceſſerat, atque in eum locum præſtantem virum ſuccedere rurſus optaret, primùm à M. Henrico à Bruchofen Buſcoducenſi concionatore ſuo, qui tum Hafniæ ægrotanti vxori ſuæ aderat,

rat, ad Victorinum Strigelium, qui ei antiqua amicicia & conſuetudine coniunctus erat, ſcribi voluit. Poſtea verò & proprias ſuas literas ad ipſum miſit, quibus liberaliter eum in Daniam vocabat: fueruntq́ hæ vltimæ literæ, extra Daniam miſſæ, ipſius manu ſubſcriptæ & ſignatæ.

Ex his actionibus ſatis appâret, quod fuerit ipſius in tota gubernatione ſtudium, cùm vltimo vitæ tempore de Eccleſia tam fuerit ſolicitus, vt quaſi prudens œconomus, qui futuram aliquando verbi Dei famem proſpiceret, id procurarit, vt doctrinæ cœleſtis ſtudia, ſanctumq́ miniſterium in his Eccleſijs, quàm fieri poſſet diutiſſime, conſeruarentur.

In priuata & domeſtica vitæ eius conſuetudine, quanta pietas, quantaq́ religio ſemper fulſerit, teſtes ſunt ij, qui in conclaui adeſſe ipſi ſolebant, cubicularij, Theologi, Medici, & aula propè vniuerſa. Nullum intermitte-

bat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

bat diem, in quo non horas aliquot orationi & lectioni ſacræ tribueret. Manè cùm primùm experrectus eſſet, orabat prolixè & ardenter, nec priùs in conclaue quenquam admittebat, quàm orationem ſuam ad Deum abſoluiſſet. Priùs verò, quàm pranderet, aut ipſe inſignem aliquem locum Theologicum ex Lutheri ſcriptis clarè recitabat, aut, ſi per valetudinem ſpiritu & voce minùs valebat, alterum aliquem ex familiaribus recitantem audiebat. A cœna, quod tempus alij compotationibus, luſibus, & aleæ tribuunt, ipſe plerunque hiſtoriæ alicuius lectioni, & Pſalmis canendis impendebat. Publicas verò conciones, cantiones, & precationes, pro temporum & præſentium periculorum ratione, præſcribebat ipſe, ijsque, quoties per valetudinem poterat, intererat. Conciones audiebat ſumma cum attentione: ipſe cum toto cœtu canebat clara magnaque voce, ſacra

cœna

cœna Domini ſæpe vtebatur, exemploq́ꝫ ſuo cæteros aulicos ad ſimilia pietatis officia inuitabat.

Quoties grauiore aliquo morbo infeſtabatur, ita vt pluſculum temporis quieti & ſomno dare cogeretur, non tam de corporis doloribus & virium imbecillitate querebatur, quàm quòd tempus illud ita miſerè ſibi periret, ſine vlla ſacrarum rerum lectione, & vſitatis ſuis exercitijs pijs. In ſumma, nulla erat valetudo corporis tam aduerſa, nullæ de repub. conſultationes, nullæ cauſarum diſceptationes (quibus tamen bonam magnamq́ꝫ temporis partem conſumere ſolebat) tam graues, nullæ voluptates aut deliciæ tam iucundæ, quæ ipſum ab hoc religioſo exercitio auocarent.

In ſummis ſuis occupationibus & grauiſſimis reipub. curis, cùm multa ſecum in animo volueret, ſæpe in pios quoſdam ſermones prorumpebat,

bat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

bat,ſimulq́ꝫ grauiter & copioſe diſſe-
rebat de humani generis miſerijs, de
peccato, de furoribus & aſtutia dia-
boli, de beneficijs Ieſu Chriſti, in qui-
bus quaſi iam acquieſcens, dicendi
finem plerunq́ꝫ faciebat.

De toto miniſterio, & Eccleſiarum
conſtitutione ſæpe & multùm cum
conſiliarijs & Theologis ſuis collo-
quebatur & conſultabat. Et quemad-
modum Dauidem Regem, regni glo-
ria & potentia, multiſq́ꝫ præclaris vi-
ctorijs inſignem, non puduit eſſe in
cœtu ſacerdotum & Leuitarum pſal-
lentium & celebrantium Deum: ita
certè noſter hic Rex piorum & do-
ctorum hominum doctrinam, con-
greſſus, & colloquia pluris faciebat,
quàm reliquum illum externum re-
gni ſui ſplendorem ac maieſtatem.
Verùm hæc de pietate ipſius in re-
purganda vera de Deo doctrina, in
veris cultibus inſtaurandis, in conſer-
uando miniſterio, deniq́ꝫ in tota vitæ
actione

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

actione & aſſidua Dei inuocatione, dicta ſufficiant.

De humanitate, comitate, & liberalitate ipſius erga omnes, cum quibus erat, nihil dico: etſi enim hæ virtutes ſuam quoq; laudem habent, tamen quia earum fructus ad quoſdam magis, quàm ad vniuerſam rempub. pertinent, & quia omnibus ſatis notæ iam ſunt, ijs prætermiſsis, de pacis ſtudio, quod certè præcipuus erat politicæ ipſius ſapientiæ neruus, aliquid dicam.

Quemadmodum igitur de Ezechia commemorauimus, nullum bellum temere ipſum vnquam mouiſſe, pacem potiùs data pecunia redimere voluiſſe, neceſſaria tamen pericula, quæ omnino pro Eccleſiæ & patriæ defenſione ſuſcipienda erant, nunquam defugiſſe: ita ſanè noſter hic Rex, primùm quidem cùm nulla ambitione, nulla regnandi cupiditate, ſed mirabili Dei conſilio, Rex declaratus

ratus eſſet, regni hoſtibus deuictis, belli finem pacem eſſe ſtatuit, quam poſtea ſemper ita amauit & coluit, vt ab eo vſq; tempore nullas militares copias Dania viderit.

Et quanquam amplificandi regni non contemnendæ occaſiones aliquoties ipſi oſtenderentur, vt nuper etiam, cùm Liuonicæ aliquot ciuitates ſe in huius regis noſtri fidem ac poteſtatem conferre certis conditionibus paratæ eſſent, etſi miſeram eorum fortunam ſubleuare conatus eſt, nihil tamen noui tentare voluit, ne ſe bello non neceſſario implicaret, & diuturnam regni ſui pacem in hoc vltimo vitæ actu labefactaret. Multo enim pulchrius ac laudabilius eſſe exiſtimabat, patriam in pace continere, eamq; religione, legibus, moribus, & iuſticia ornare, quàm longè lateq; propagatis finibus, alienos populos debellare, imperioq; ſuo ſubijcere.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Sæpe cùm de Principum iſtorum, qui his proximis annis vniuerſam penè Europam bellis perturbarunt, diſſidijs loqueretur, belli calamitates & ærumnas, direptiones, incendia, cædes, fugas, & ſtupra nefanda, non ſine magna commiſeratione commemorabat, grauiterq́ꝫ ingemiſcebat, quòd tot malorum cauſa eſſet bellum, cùm belli plerunq́ꝫ cauſa nulla eſſet, præterquam vna miſera ambitio, vel, vt ipſe dicere ſolebat, manipulus vnus ſuperbiæ, Eine hand voll hoffart.

Sæpe exclamantem audiuimus: O quàm beatæ eſſent reſpub. quàm Principes ipſi beati, ſi rebus ſuis contenti, concordiam, pacem, & iuſticiam colerent: eaq́ꝫ potentia, qua à Deo armati ſunt, ad communem hominum perniciem non abuterentur: nunc ipſi & ſibi & ſubditis ſuis, magnis laboribus & periculis, ingentes calamitates accerſunt, cùm in pace florere poſſent, opibus & rerum omnium

mnium copia, vitamq́ꝫ degere iucun-
diſſimam ac planè diuinam, cum An-
gelorum vita comparandam. Has vo-
ces, quibus ſatis declarabat, quàm eſ-
ſet pacis & tranquillitatis amans, cre-
brò ex ipſo audiuimus: vnde colligi
facilè poteſt, pro ſumma virtute po-
litica eum habuiſſe ſtudium pacis,
quo illud etiam conſecutus eſt, vt
diuturnæ pacis cuſtos meritò dici ac
prædicari poſſit.

Regnauit annos XXIII. Regnare
cœpit anno ætatis ſuæ XXXII. Natus
autem eſt anno M. D. III. menſe Au-
guſto, paulò pòſt, quàm Ferdinandus
Cæſar, qui nunc rerum in Germania
potitur, natus eſſet. Obijt nuper Ca-
lend. Ianuarij. Fuit itaqꝫ vniuerſum
vitæ eius curriculum annorum L V.
& aliquot menſium. Ezechiam re-
gem, cum quo ipſum comparauimus,
vno tantùm anno vitæ ſuperauit, etſi
regni ipſius tempus breuius aliquan-
tò fuerit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Verùm quod Ezechiæ accidit, vt XV. annis, antequam moreretur, in grauem & lethalem morbum incideret, ex quo tamen ſingulari Dei auxilio, cùm ipſum ſeriò inuocaret, reſtitueretur, & XV. annorum ſpatio vita ei prorogaretur, ſimile omnino noſtro huic regi accidiſſe fatendum eſt, Anni nunc ſunt XII. cùm Lundæ, oppido Schaniæ, deplorata omnino valetudine eſſet. Cùm verò in rebus humanis auxilij nihil appareret, medicić physicis ſuis remedijs parùm efficere ſe profiterentur, ibi tum optimum regem non alia ratione ſeruatum fuiſſe conſtat, quàm ſuis & Eccleſiæ precibus, quibus motus Deus vitam ei in hoc vſcę tempus produxit. Firmam ipſius in Deum fiduciam declarant vſitata eius ſymbola, quibus & conſolari ſe, & ædificia ſua ornare ſolebat:

Zu Gott mein troſt allein /
Sonſt andern kein.
Ach Gott ſchaff deinen willen.

Etſi

Etſi autem ſolius Dei auxilio nitere-
tur, vitamq́ & ſalutem omnem ei vni
acceptam referret, nihilominus ta-
men interea medicos etiam in hono-
re habebat, & remedijs, ab ipſis mon-
ſtratis, non inuitus vtebatur. Verùm
cùm parùm ea interdum prodeſſent,
& ipſe in lecto æger decumberet, io-
cari nonnunquam ita ſolebat: Vbi
nunc ſumus (inquit ſubridens) nos,
qui potentiſſimi & inuictiſſimi ſalu-
tamur? vbi nunc potentia & imperi-
um noſtrum, cùm ab vna febricula
ita domamur? Deinde, vt ſæpe aliâs,
cùm bene haberet, longiùs oratione
digreſſus, humanarum calamitatum
cauſas commemorabat, edebatque
præclaras confeſſiones de corrupta
natura, de contumacia carnis aduer-
ſùs ſpiritum, de nimis imperfecta o-
bedientia ſua. Quid eſt (inquit) quòd
tantopere ſuperbimus? cùm omni
humana iuſticia quàm maximè or-
nati ſumus, quid tum adhuc aliud ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Deum accedentes adferimus, quàm turpem peccati maſſam? Quare ad filium Dei confugiamus, amplectamur iuſticiam Ieſu Chriſti, quæ nos perducat ad vitam æternam. Huiuſmodi confeſſionibus & adhortationibus ipſe ſe confirmabat, & tanquam pius pater erudiebat domeſticos ſuos, vt, qui audirēt, magis interdum ijs mouerentur, quàm publicis Eccleſiæ concionibus.

Errata & imbecillitates ſuas minimè diſſimulabat, atq; apertè confitebatur, dignum ſe eſſe, qui pœnas etiam daret. Sed orabat cum Ezechia Deum, ne pro meritis ſuis in ipſum animaduerteret, pœnas potiùs auerteret, & pacem daret in diebus ſuis. Hactenus, quæ vita eius fuerit, quæ in publica gubernatione & domeſtica conſuetudine virtutes, audiuiſtis. Reliquum nunc eſt, vt de obitu eius pauca quædam dicamus, qui certè vitæ integerrimè actæ planè conſentaneus fuit.

Viceſi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Viceſima tertia die Decembris biduo ante diem feſtum, qui natalis eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti, manè, cùm ad ipſum veniſſet M. Paulus Nouiomagus, quo concionatore iam annos ferè quindecim vſus erat, ſciſcitari ſtatim ex eo cœpit, qua valetudine pater ipſius eſſet: nam & is grauiter eodem tempore ægrotabat, quo etiam morbo vno die antè, quàm Rex è vita diſcederet, extinctus eſt. Verùm M. Paulus cùm dato reſponſo, viciſſim regem interrogaret, ecquid ipſe valeret? Dicam, inquit: fuit iam apud me, qui me animo bono eſſe iuſsit, mihiq́ ſpem fecit, fore, vt breui cum hoc nouo anno mea quoque valetudo renouetur, ac tum ſecuturam vitam longiorem. Quod cùm vnà audiret D. Cornelius medicus, qui tum fortè aſtabat: Conijcio, inquit, ſomnium fuiſſe. Nequaquam, inquit rex, vanum aut ſomnio ſimile fuit, nam certo certius ita fore, mihi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

affirmauit. Quis autem aut cuiâs ille fuiſſet, à quo ſignificatum ſibi id fuiſſe diceret, neq; interrogabat quiſquam, neq; ipſe amplius quicquam addebat. Verùm, vt euentus poſtea docuit, minimè dubitamus, quin diuinitus oraculo per quietem ipſi oblato, de tempore, quo ad cœleſtem vitam emigraturus eſſet, admonitus fuerit. Quod ſi ſomnium fuit, ſimile omnino illud fuiſſe ſtatuo ſomnijs Ioſeph, Nabuchodonoſor, Magorum, qui de rebus futuris, & ad Eccleſiam pertinentibus, per ſomnium ab angelo edocti fuerunt. Paulò pòſt habita eſt à M. Paulo concio de S. Thoma, qua ille mirificè afficiebatur.

Reliquum verò tempus, quo conciones nullas audiebat, tribuebat ſacrorum librorum lectionibus. Præcipuè autem horum ſcriptorum lectione delectabatur, Commentarij Lutheri ad Galatas, maximeq; illius particulæ, quæ eſt in illum locum primi

capitis:

capitis: Chriſtus dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſeculo nequam: item libelli Iuſti Menij, de præparatione ad mortem, quem quotidie in manibus habebat, & iter faciens circumferebat: item libri Iohannis VVigandi paſtoris Magdeburgenſis, cui titulus: Heubtartickel Chriſtlicher Lehr. Hunc librum non ita pridem ipſi miſerat Iulius Henrici Ducis Brunſuicenſis filius. Tantopere autem eo delectabatur, vt de pluribus exemplaribus aduehendis mandata daret, & de vertendo in linguam Danicam cogitaret.

In ferijs natalitijs, ingraueſcente paulatim morbo, cùm lecto iam ita affixus eſſet, vix vt ſe mouere poſſet, præter ordinarias conciones, quas audiebat, nihil legebat ipſe, vt facere priùs ſolitus fuerat: ſed conciones illas, quæ in Lutheri Poſtilla extant de pucero Ieſu, recitari ſibi iubebat, eaſq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

omnes audiebat attentè magnaq́ꝫ cum animi alacritate. Quanquam autem ipſe tum cœna Domini, qua octiduo antè vſus fuerat, abſtinebat: tamen cubicularijs ſuis eam in conclaui ſuo adminiſtrari, magna cum voluptate cernebat.

Pridie, quàm moreretur, quæ vltima dies erat menſis Decembris, cùm de morte patris M. Pauli, de quo ſolicitè ſemper percunctatus fuerat, nunciatum eſſet: Bene eſt, inquit: cras ſequar.

Calendis igitur Ianuarij, à quo die nouum annum nunc auſpicamur, memor (credo) quòd ſignificatum ei eſſet, hoc die meliorem eius valetudinem fore, & vitam inde ſecuturam longiorem, quaſi exire iam ex hoc exilio geſtiens, atq́ꝫ ad cœleſte illud domicilium properans, bene manè ſe ad moriendum parare cœpit, ac primùm prælegi ſibi iuſſit locum Pauli Gal. 1. Chriſtus ſemetipſum dedit pro

pecca-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

peccatis noſtris &c. Cumq́ à M. Pau-
lo, qui inter primos ipſum adibat, de
patris ipſius obitu quædam ſciſcita-
tus eſſet: Hodie, inquit, ipſum ſequar:
tu vt patri adfuiſti, ita mihi fac vt ad-
ſis. Mox reliquis abire iuſſis, ſolum
Paulum retinet, ibiq́ poſt apertam,
plenam, rotundam, planeq́ Chriſtia-
no homine dignam confeſſionem,
rurſus ipſe verbo Euangelij ita ſe eri-
gebat ac confirmabat, vt Paulus, qui
ipſum audiebat, arbitraretur ſe multò
plus ex ipſo, quàm ipſum ex ſe, conſo-
lationis cepiſſe. Nihilominus tamen,
vt miniſterij etiam rationem habe-
ret, præſentiſq́ miniſtri voce magis
confirmaretur, viciſsim ex ipſo audi-
uit certam, pijſq́ mentibus gratam de
remiſsione peccatorum per Ieſum
Chriſtum ſententiam, cui accedere
etiam volebat pignus illud corporis
& ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chri-
ſti, ipſius teſtamento, ad conſeruan-
dam ac celebrandam beneficiorum

ipſius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

ipſius memoriam, & vacillantem fidem noſtram roborandam, nobis relictum. Verùm roganti Paulo, mox ne, an poſt concionem, cœnam Domini ſibi adminiſtrari vellet: Satis, inquit, maturè fiet poſt concionem, modò ne prolixa nimis ea fuerit: ſenſatio enim parùm temporis nobis ſupereſſe.

Habita igitur concione de puero circumciſo, cui à Deo ipſo, priuſquam in vtero naſceretur, nomen inditum erat, vt Ieſus diceretur, idq; muneris aſsignatum, vt ſaluos faceret peccatores, cœnaq; Domini adminiſtrata, cùm Paulus iam rurſus propiùs accedens, præcipua concionis capita ſummatim repeteret, tum lætus ille & alacris, complicatis manibus ſuſpirans, magnoq; deſiderio cœleſtis patriæ oculos attollens, gratias agebat Deo pro beneficijs omnibus ſibi per Ieſum Chriſtum collatis, pro liberatione à peccato, morte, & mortis terroribus,

Inter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Interea regina coniunx, ſacris in templo peractis, ingreditur: ſed præ fletu & mœrore maximo proloqui nihil potuit: vnam tantùm hanc vocem edebat: O mein Herr/mein Herr. Ea igitur aliquantiſper rurſus digreſſa, cùm quidam catenas aureas proſferret, quas antea hoſpitibus quibuſdam pro apophoretis donari iuſſerat: Aufer, inquit, aufer: quorſum nunc hæc ſtercora?

Reuerſa poſtea regina, ad lectum mœſta tacitaq; conſedit. Ibi tum ambo Cancellarij, D. Iohannes Friſius, & Andreas Barby, regem conueniunt, qui graui & longa oratione eos compellans, poſtrema hæc ipſis mandata dedit: Quoniam inſtare ſibi iam viderent extremum vitæ tempus, vt patriam (cui poſthac ipſe conſulere ampliùs non poſſet) ſibi commendatam eſſe putarent, ad eius ſalutem omnia ſua conſilia & actiones dirigerent, inprimis verò, vt, quemadmo-

dum

dum ipſe feciſſet, id operam darent, vt vera religio, incorrupta Eccleſiæ doctrina, & quæcunque ad verum Dei cultum pertinent, ſalua integraque conſeruarentur: quæ verò de Eccleſiis, Academia, ſcholis, verbi miniſtris, Epiſcopis, pauperibus, nuper decreta feciſſet, ea vt rata & firma perpetuò manerent. Deinde vt cariſſimam coniugem ſuam & liberos minores, qui nondum attributas partes hæreditatis haberent, tuerentur, ne ad calamitatem aliquam, ipſis genereque ipſorum indignam, redigerentur. Friderico filio eam, quam olim dediſſent, fidem præſtarent, eaque deinceps ipſi conſilia darent, quæ & ipſis glorioſa, & reipub. futura eſſent ſalutaria: cauerentque, ne ſubditis aut patriæ vis vlla aut iniuria fieret, quemadmodum earum rerum omnium rationem reddituros ſe Deo aliquando arbitrarentur. Poſtremò vt miniſtrorum ſuorum, quorum quotidiana o-

pera

pera vſus erat, (in quibus nominatim meminit M. Pauli) ratio haberetur, ne ipſos clientelæ ſuæ vnquam pœniteret: ſed pro præſtitis regi officijs vberiorem fructum percepiſſe ſe meritò lætari poſſent. Poſtea omnibus, qui tum aderant, nobilibus, cubicularijs, medicis, cęteriſq́ miniſtris, mœſtis ac lachrymantibus, per D. Andream Barby, qui tamen ipſe præ nimio fletu vix fari poterat, gratias egit: moxque ſingulis dextram porrexit, ſuaq́ voce valedixit.

Interea regina, quæ præ mœrore ſe paululum remouerat, reuocatur: quam cùm ſummo dolore miſerè affectam atq; afflictam videret: Mea coniunx, inquit, eſto animo bono: Dei voluntati obtemperemus: liberos noſtros in timore Dei educa, & Fridericum noſtrum rectis conſilijs iuua.

Hoc dicto, regina, vt erat animo perturbato, in conclaue ſuum, quod

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

in propinquo erat, rurſus diſcedit: & communes liberos, Iohannem & Dorotheam filiam, ad patrem mittit: hi cum ſingultibus & lachrymis, regem patrem adeuntes, ante lectum in genua procumbunt, & offenſæ, ſi quam commiſerint, culpam deprecantur. Rex verò protenſa dextra, capitibuſq́ eorum impoſita, ſalutem & benedictionem Dei per Ieſum Chriſtum, omnis benedictionis autorem, ipſis precatur, ac mox dimittit.

Pueros ſubſecuta mater regina, multiſq́ perfuſa lachrymis, redit rurſus, & ſi qua vnquam vel minima re dominum ſuum offendiſſet, veniam petit. Cui mox ille: Mea Dorothea, inquit, iamdudum iſtorum omnium nihil meminimus. Atq́ ita in mutuo complexu aliquandiu hęrentes, vterq́ alteri valedixit.

Erat iam diei tempus meridianum: reliquas igitur quatuor horas, quibus ſpiritum adhuc ducebat, precationi-

bus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

bus traducebat. Si quis fortè extenuando mortis periculo, & longioris vitæ ſpe, conſolari ipſum velle videbatur, eum & vultu & manu repellebat. Simeonis canticum: Mit fried vnd freud/ Item/ Mitten wir im leben ſind/ inchoabat ipſe, vnaq́ cum alijs mœrentibus & eiulantibus canebat lætus. Cùm à M. Paulo peteret, vt funebre illud inchoaret: Nu laſt vns den leib begraben / isq́ modeſtè recuſaret, quòd importuna adhuc ea cantio eſſe videretur: Mi Paule, inquit, canatur mihi: me nunc ea quàm maximè delectat. His adiungebat & illud: Wir gleuben all an einen Gott. Poſtremò repeti rurſus voluit Simeonis canticum, quod primum cecinerat, atq́ in eo tandem canendi finem fecit.

Scripturæ loca, quibus Theologi, qui aderant, M. Paulus, & M. Andreas Martinus, eum conſolabantur, hæc ferè erant: Sic Deus dilexit mundum, Item quinquageſimum tertium caput

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Eſaiæ,& dicta quædam conſolatoria ex prima Epiſtola Iohannis. Sed ille ſuas quaſdam peculiares ſententias, quas antea ſemper in ore atq; animo habere ſolebat, vltro ſibiipſi tum ſuggerebat,vt illud Matth.11. Venite ad me omnes,qui laboratis. Item, Hæc eſt vita æterna, vt agnoſcant te verum Deum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum.Item,Ego ſum via, veritas, & vita.His vltro ſe erigebat ac ſuſtentabat,& illuſtri oratione declarabat ſe firma fide ea amplecti. Singulis dictis huiuſmodi quandam interpretationem addebat. Chriſtus clamat, inquit, Venite ad me omnes,&c. iam venio ad ipſum,onuſtus peccatis meis: facio, quod me facere iubet, nec dubito,quin viciſſim, quod ſe facturum promittit,ſit præſtaturus,mihiq;, deletis morte ſua peccatis meis, requiem breui daturus ſit in vita æterna. Illud Chriſti dictum: Hæc eſt vita æterna &c. ita explicabat.Omnino,

inquit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

inquit, eſt hæc, & manet vita æterna, Chriſtus Ieſus: vbi autem hic non agnoſcitur, quid reliquũ ibi eſt aliud, quàm mors & miſeria æterna? Poſtea, Si Chriſtus, inquit, via eſt, ego, qui Chriſto adhæreo, à recta regiaq́ via aberrare non poſſum.

Cæterùm, cùm M. Paulo paternum funus curandum eſſet, & diſcedendi paululum veniam peteret, facilè conceſſit, ne poſtremo hoc pietatis officio parenti ſuo deeſſet: orabat tamen, vt, quamprimum poſſet, reuerteretur. Interea aderat ei M. Andreas Martinus, cui id primũ queſtus eſt, quod fidei ſuæ motus ſentiret imbecilliores: itaq́ petebat, vt vnà cum cęteris Spiritus ſancti auxiliũ imploraret, quo ad extremum vſq́ firmus conſtanſq́ in inuocatione filij Dei perſiſtere poſſet. Poſtea ipſum, prædicantem IeſuChriſti beneficia, attentè audiebat, aliquoties illud ſubijciens: Vera hæc eſſe agnoſco, atque in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

ijs viuens & moriens acquieſcere volo.

Rediens autem M. Paulus inuenit eum multò, quã antè, imbecilliorem, & viribus iam penè fractum, mente tamen adhuc & loquela conſtantẽ, orſusq́ à dicto Petri in Actis, De Domino Ieſu Prophetę omnes teſtantur, ſaluos fieri omnes, qui credunt in nomine eius, breuiter recenſuit præcipua omnia illa teſtimonia, ex quibus ſingularem aliquam conſolationem cepiſſe eum priùs animaduerterat, vt ſententias conſolatorias ex Epiſtola Iohannis, hiſtoriam Euangelicam de vocato ex telonio Matthæo, cùm nihil tale cogitaret, nedum meritus eſſet, vt à Chriſto vocaretur: item parabolam Chriſti de oue errante, à paſtore quæſita, ipſiusq́ humeris ad gregem reducta.

Quæ cùm pluribus verbis & mira quadam ſuauiloquentia rurſus illuſtraſſet, ſubiunxit tandem patheticum

cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

cum illum locum Pauli: Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ. Quis accuſabit electos Dei? Quis eſt, qui condemnet? &c. Poſtremò & verſus aliquot inſigniores citabat ex Pſalmo 103. Non ſecundùm peccata noſtra fecit nobis, neq; ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis. Quantum diſtat ortus ab occaſu, ita longè fecit à nobis iniquitates noſtras &c. cùm ille voce iam deficiente, ſed oculis animoq; intentus ac geſtiens, ſuauiter tandem ac placidè, quaſi ſomno ſolutus, expirauit, dum verſus ille recitaretur: Sicut pater miſeretur filiorum &c.

Ita rex optimus ac præſtantiſſimus, huius ætatis noſtræ Ezechias, regumque omnium, qui nunc ſunt, præcipuum decus & gloria, ex hac miſera & mortali vita, ad Deum & ſanctorum omnium beatiſſimum cœtum trans-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

latus eſt, triſtemq́ & acerbũ luctum, magnumq́ ſui deſiderium nobis reliquit: ipſe autem fruitur dulci conſuetudine cœleſtis Eccleſiæ, viuitq́ cum Ezechia, Dauide, Ioſia, Iohanne Friderico, & ſimilibus pijs Principibus. Cuiuſmodi cùm omnibus temporibus pauciſsmi ſemper extiterint, & mediocriter etiam bonorum obitus magnæ calamitates plerunq́ ſecutæ ſint: oremus cum Ezechia Deum, vt det pacem in diebus noſtris, pœnas mitiget, publicos motus & bella compeſcat, & illuſtriſſimi Principis noſtri Friderici, regis deſignati, mentem Spiritu ſuo ſancto illuſtret, pia conſilia & conatus iuuet, paternaſq́ virtutes ita in eo confirmet, vt earum magis hæreditatem, quàm regni partes ſuſcepiſſe videatur: totam deniq́ gubernationẽ eius ita fortunet, vt & religio, & iuſticia, & morum diſciplina ſancta incorruptáque in hoc regno ſeruetur, æternoq́ Deo æterna Eccleſia ex his

popu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

populis perpetua Euangelij prædicatione colligatur, per IEſum CHriſtum Dominum noſtrum,
AMEN.

ALIA
ORATIO DE ILLVSTRISSIMO PRINcipe ac Domino, Domino CHRISTIANO III. Rege Daniæ & Noruegiæ, &c.

Autore

Ioanne Thoma Ripenſi.

EXTAT APVD Eſaiam dulciſsima DEI promiſſio: Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. Qua DEVS Eccleſiam ſuam, in hoc mundo vt afflictiſſimam, ita mille periculis obrutam, conſolari voluit: & ſimul

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

docere, ſe genus humanum imperijs ſocietatum ideo conſeruare, vt ex eo colligatur Eccleſia: ſeq́ pios & ſalutares gubernatores politijs præficere, vt inter horribiles mundi confuſiones Eccleſię ærumnoſæ hoſpitium præbeant, & vt nos grati hoc eius beneficium agnoſcamus. Tales enim fuiſſe quamplurimos, varijs temporibus diuinitus excitatos, teſtantur hiſtoriæ veteres: & in his Dauidem, Ioſaphat, Ezechiā, Ioſiam, Cōſtantinum, Theodoſium, Carolum Magnū, & Othonem I. præcipuè celebrat antiquitas.

Sed, vt cæteros taceam, talem fuiſſe hoc noſtro tempore in his terris ſanctiſſimum Principem, CHRISTIANVM III. piæ memoriæ regem & nutritium, omnes tùm exteros, tùm incolas fateri neceſſe eſt.

Atque vtinam maior à pleriſque Deo exhibita eſſet gratitudo pro beneficijs, quæ harum regionum Eccleſijs, ſcholis & politijs per ipſum contigerunt:

gerunt: non certè tanto bono tam ſubitò priuati eſſemus: nec mortem eius, nobis immaturam, oratione lugubri deplorare cogeremur.

Nunc autem in hoc triſti & graui caſu, cùm Deus Regem optimum in cœleſtẽ Eccleſiam auocauerit, eumq́; nobis ingratis eripuerit, multæ doloris cauſæ concurrunt, vt nemo ſit, qui mortuo hoc patre patriæ, nutritore Eccleſiæ & ſcholarũ, non meritò mœrore, cura & ſolicitudine afficiatur.

Luget Regina illuſtriſſima, amiſſo marito vnicè dilecto: lugent orbitatẽ ſuam generoſi & illuſtres liberi, amiſſo patre: luget ampliſſimorum procerum Senatus, amiſſo publici conſilij duce præcipuo, cuius prudentia cum pietate coniuncta, omnia gerebantur ſapientiſſimè. Conflictatur acerbiſſimo mærore vniuerſa patria, amiſſo principe optimo: quem Marte togaq́; ſibi vt beneficum, ita φιλόστοργον patrem eſſe comperit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Lugent, idq́ omnium maximè, Eccleſiæ & ſcholæ, amiſſo nutritio, vindice & propugnatore fideliſſimo.

Sed tamē gratiæ Deo agendæ ſunt, qui pro immēſa miſericordia ſua, hoc piorum Mecœnate decedente, illuſtriſſimum eius filium FRIDERICVM II. nobis Regem conſtituit: & ita nos omnes exuſcitauit, vt & ardentibus votis precemur, eum ſpiritu ſancto gubernari, vt paternis inſiſtat veſtigijs: & eo conſpecto, ſuauiſſimam ac vtiliſſimam patris memoriam perpetuò retineamus.

Quæ res mihi etiam animum addidit, vt hunc de CHRISTIANO III. ſermonem inſtituerem, non oſtentandi ingenij gratia, quod ſentio quàm ſit exiguum: ſed teſtificandæ erga ipſum gratitudinis & vtilitatis ex ſempiterna eius memoria prouenientis.

Vtile enim eſt, eum crebris multorum præconijs celebrari, vt memori-

am

am virtutumac beneficiorũ eius grata mente conſeruemus, Deoq́ gratitudinem pręſtemus pro tot & tantis beneficijs, Eccleſiæ & Reipub. per ipſũ exhibitis, quot & quanta vix vnquam quiſquam tacitus à Deo auderet optare: & hoc illuſtri exemplo commonefacti, noſipſos ad virtutes eius, pro noſtra vocatione imitandas, excitemus: ac potiſſimùm piam moriendi artem, ab ipſo ſeruatam, ſedulò addiſcere ac imitari ſtudeamus.

Primùm itaque mihi videtur de natalibus ac genere vitæ, deinde de moribus, tùm de morte & exitu vitæ placidiſſimo eſſe dicendum.

Natus eſt CHRISTIANVS III. Rex Daniæ & Noruegiæ, de quo dicturi ſumus, anno Chriſti M. D. III. XII. die Auguſti: cùm Sereniſſimus Rex Danorum &c. IOHANNES, patruus eius, annos XX. hiſce regnis imperaſſet.

Patrem habuit illuſtriſſimum principem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

cipem, FRIDERICVM Ducem Holſatiæ, filium CHRISTIANI I. regis Daniæ, ex veteri & celeberrimo genere Comitum Oldenburgenſium & Principũ Saxoniæ oriundum: qui ad Regiam dignitatem euectus, hoc Daniæ regnum annis decem magna laude adminiſtrauit.

Mater ei fuit ANNA, nata in præſtantiſſima familia Marchionũ Brandeburgenſium, patre Marchione Iohanne Electore, filio Alberti Marchionis & Electoris bellicoſiſſimi: qui ab heroica animi magnitudine, virtutis excellentia, & rebus præclarè geſtis, dictus eſt Achilles Germanicus.

Nec certè minima laus eſt, Chriſtianum ex nepte tanti herois prognatũ eſſe, cùm ſemina virtutum & ſimiles impetus à parentibus in liberos, à maioribus in poſteros propagari exiſtimentur: vt inquit Pindarus in Pythijs, Φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιπρέπει ἐκ πατέρων παισὶν λῆμα· hoc eſt: Generoſi parentum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

rentū animi natura & in filijs excellūt.

Deinde cùm veriſſimum ſit, gradus hominum diſtinctos eſſe diuinitus: magna laus eſt & dignitas Nobilitatis, præſtātes & heroicas familias cæteris hominibus præferri, aliquantiſper à Deo cōſeruari, & excellentibus donis ac virtutibus eximijs ornari.

Sed maius adhuc decus & vtilitas Nobilitatis in hoc Chriſtiano inuenitur, quòd ex pijs parentibus natus ſit. Non enim dubium eſt, quin tanta & tam pręclara Dei beneficia, quibus affatim abundabat, eorum pietate & precibus acceperit: quemadmodum ſcriptum eſt, Generationi rectorum benedicetur. Quam Dei promiſſionem alicubi auditam, Theocritus hoc verſu comprehendit:

Ευσεβέων παίδεσσι τὰ λώια, δυσσεβέων δ᾽ οὔ.
Iuſtorum ſoboli bene fit, malè cedit iniquûm.

Natura autem in eo excellens liberalem inſtitutionem magno cum fructu experta eſt. Nam à primis annis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

nis non modò literas bonas, & veram de Deo doctrinam, quantum illa ferebant tempora, didicit, ſed etiam ad amorem Chriſtianæ religionis, iuſticiam, manſuetudinem, & id genus virtutes cæteras, Principe dignas, optimè eſt inſtitutus.

Deinde ineunte adoleſcentia, iuſſu patris, vt mores hominum multorum ac vrbes noſceret, in Germaniā profectus eſt ad auunculum ſuum IOACHIMVM I. Electorem Brandeburgenſem, rara eruditione & facundia præditum: apud quem cùm aliquandiu viueret, partim in literis, prudentia, militiæ diſciplina, & moribus honeſtis, progreſſus fecit inſignes: partim etiam heroicæ de ſe indolis ſpecimen edidit.

Nam cùm annos natus octodecim, auunculum ſecutus, comitia Vuormaciæ, anno Chriſti 1521. de doctrina Lutheri habita adijſſet: vidit ibi monachum quendam, Epicuri de grege

por-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

porcum, coram Imperatore CARO-
LO Quinto, & ordinibus Imperij, tã
ridicula geſticulatione concionan-
tem, vt hiſtrioni, quàm Theologo, ſi-
milior appareret: dum per vices nunc
ſeſe erigeret, nunc quaſi precandi gra-
tia reclinato corpore in genua procũ-
beret. Aduertit autem generoſus
Princeps, fraterculi funẽ, quo præcin-
ctus erat, ſubinde per rimam ſuggeſti
demitti. Quare occaſionem captans,
clanculum iniecto nodo effecit, vt
monachus retentus, publicè Cæſaris
opẽ inclamaret, & graui querela Lu-
theranorum perfidiã exciperet, dum
incuruatus, ſeſe more priori non poſ-
ſet ante ſolutum nodum erigere.

Cùm autem impetus animi, & ar-
dor mentis ad gloriam, in adoleſcen-
tia tanquam in herbis ſignificare ſole-
ant, quæ virtutis maturitas, & quantæ
fruges induſtriæ ſint futuræ: videtur
CHRISTIANVS hoc facto, qua-
ſi læto omine, certum præbuiſſe indi-

cium,

cium, de ſecuta per eum in his regionibus Euangelij propagatione, reiectis monachis, ſacrificulis, atq; id genus alijs hypocritis quamplurimis.

Simul etiam gratā Imperatori magnanimitatem, & probitatem ingenuam, eo tempore oſtendit. Cùm enim omnes, præſertim Pontificij, re noua & inſolito monachi clamore redderentur attoniti: Cæſar ipſe admodum commotus, facti autorem ſolicitè inquiri mandat. Eo cognito, CHRISTIANVS rem omnem Cæſareæ Maieſtati ordine per auunculum exponi curat: ne quis ſuſpicione cæca, ob ſuum factum, iniuſtè in diſcrimen veniat.

Ac fertur clementiſſimus Imperator Carolus, laudata eius heroica indole, vultu placito ſubridens, eum à ſe dimiſiſſe: & poſtea ſæpius, cùm mentio huius incideret, iucundam ea de re commemorationem inſtituiſſe. Sed his omiſſis, ad grauiora feſtinemus.

Reuer-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Reuerſus ab auunculi aula in Holſatiam, patri FRIDERICO autor extitit, vt abiectis nugis Papiſticis, & tenebricoſis hominum figmentis, puram Euangelij lucem ipſe amplecteretur.

Deinde iam annos natus viginti, eidem tum Regi Danorum electo, fidelem in expugnanda Haffnia operam præſtitit: ſuæq; fortitudinis & rei militaris, in obſidione diutina, tam læta initia habuit, vt parenti ſuo non ſolùm adiumento in periculis, ſed etiam gratulationi in victoria fuerit.

Cùm autem à coronatione patris, in ducatum Sleſuicenſem reuerſus eſſet, afflictis & captiuatis hominum conſcientijs gratam Euangelij prædicationem latè ſpargi curauit, vſus ad hoc potiſſimùm opera Doctoris Eberhardi Vveydenſche, & præſtantiſſimi viri, optimè de Eccleſijs harum regionum meriti, M. Iohannis Vandali Goslarienſis: qui & poſtea in hac

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

vrbe Ripenſi, primus poſt remotos ab officio Pontificios, Superintendens conſtitutus, firma veræ religionis fundamenta iecit: & omnibus, quantum in principio renaſcentis Euangelij fieri poterat, per totam diœceſin rectè cōſtitutis, cholica paſſione debilitatus, in vera fide, & aſſidua filij Dei inuocatione, placidiſſimè ex hac mortali vita in cœleſtem Academiam diſceſſit, anno Domini 1541. 11. die Auguſti, ſub horam quartam à meridie. Toto autem morbi tempore, orationem Moſi, Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem, &c. ſæpius in ſui conſolationem repetijt.

Sed redeo ad CHRISTIANVM, qui in externa gubernatione iuſtus, clemens & munificus erat: obſequens omnibus, aduerſus nemini, adeò vt ab omnibus diligeretur, nec vllis niſi perditis hominibus, aut ſceleratis Papiſtis infenſus eſſet.

Et vt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Et vt ſuæ ditioni ſubiectos non ſola pietate, ſed & caſtitate, alijsq́; virtutibus anteiret, elegit ſibi coniugem vitæ ſociam, piam & modeſtiſſimam principem, DOROTHEAM, ex clariſſima inclytorum Saxoniæ principum familia ortam, filiam illuſtriſſimi principis MAGNI, Ducis Saxoniæ inferioris.

Nec infœcunda ea fuit, ſed Deo benedicente peperit ei quinq́; generoſos liberos: ANNAM, quæ nupſit AVGVSTO, Duci Saxoniæ Electori, &c. FRIDERICVM II. Regem ac Dominum noſtrum clemētiſſimum, (qui natus eſt anno Chriſti 1534. Calendis Iulij: & hoc anno patri ſanctiſſimo feliciter ſucceſſit, annum agens quintum & viceſimum) & præter hos, MAGNVM, IOHANNEM & DOROTHEAM.

Cæterùm, vt & reliquum vitæ curſum attingamus, ſciendum eſt, CHRISTIANVM à morte patris, ad hæc re-

gna gubernanda vocatum, electum, coronatum.

Cùm enim pater eius feliciſſimæ memoriæ, FRIDERICVS I. anno Chriſti nati 1533. decimo die Aprilis, inuocato filio Dei, placida morte obijſſet: ſecutum eſt interregnum, quod multis periculoſis motibus has terras inuoluit.

Sinite hoc loco Auditores præterire me calamitatem noſtram: quæ tanta fuit, vt ex ea non modò huius regni incolæ, ſed & vicini, ſi qui fortè nobis amicicia coniuncti erant, ingentem dolorem, luctum, mœroremq́ue ſuſceperint.

Mortuo enim FRIDERICO, Rege optimo, & legum ac pacis amantiſſimo, fuit hoc regnum Daniæ non minùs, quàm Alexandri mortui exercitus, Cyclopi effoſſo oculo ſimilimum.

Nam gloria paucorum, laudis tituliq́ue cupido (vt Poetæ verbis vtar) pa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

triam noſtram obruit: vana regnandi libido, neſcio quorum Magnatum animos occupauit: & exteris huic terræ tanquam prædæ inhiantibus, ſpem fecit, regnum tot & tam diuerſis Dominis ſubiectum, facilè occupari poſſe.

Vnde Chriſtophorus Comes ab Oldenburg, vnà cum Georgio Textore & Marco Meiero Lubecenſibus, anno ſequenti, nulla occaſione data, armatus fines Holſatiæ depopulari cœpit, non miſſis fecialibus, nec bello denunciato: ſed tamen celeritate & induſtria Chriſtiani, tum Ducis Holſatiæ, repreſſus, in Selandiam profugit, eamq́ certo defenſore carentem facilè occupauit: dum ſe Chriſtiani II. Regis captiui cauſam agere ſimularet, & in hoc felici rerum ſucceſſu Albertum Megapolenſium Ducem bellorum ſocium haberet.

Hîc in ipſo illo malo, grauiſſimaque offenſione, omnes regni proceres

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Chriſtiano III. Lubecam obſidenti, ſceptrum Daniæ offerunt: quòd is aliqua ex parte ijs incommodis mederi poſſe videbatur. Eam prouinciam, vt duram, difficilem, nec à periculis alienam, bonus princeps aliquoties quidem modeſtè recuſauit: ſed tandem, inuocato Dei auxilio, ſuſcepit: ne patriæ & vicinis, quorum res erat in extremum deducta diſcrimē, ſuam operā denegare videretur. quo facto, miſſos ad ſe Regni optimates blanda oratione in illo timore excepit, diffidentesq́; rebus ſuis confirmauit, & afflictos erexit, dubiosq́ue recreauit.

Tantis autem motibus inteſtinis regnum hoc turbatum erat, vt toto biennio vix in priſtinam tranquillitatem, poſt confectum teterrimum periculoſiſſimumq́; bellum, reſtitui poſſet. Et, quemadmodum grauiſſimè dicitur, Ἐν δυστυχίαις λάμπει τὸ καλὸν: ita etiam triſti & periculoſo eo tempore, inter tātas aduerſitates maximè

illuxit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

illuxit eximia Regis electi virtus, & infracta animi fortitudo.

Atque, vt omnes intelligant, me huic Chriſtiano III. tantum tribuere laudis, quantum ſapienti viro & fortiſſimo bellatori debeatur: dico, eius aduentu Clementem nautam, turbatorem Iutiæ Borealis (quam veteres Cimbricam Cherſoneſum appellant) victum, capitis damnatum, & rotis quatuor impoſitum, eandemq́ mercedem aliquantò pòſt etiam Meiero Scaniam vexanti redditam: vrbem Alburgenſium celebrem obſeſſã, oppugnatam vehementiſſimè, & vi captam, ciueſq́; ad vnum omnes ob rebellionem è medio ſublatos: hanc autem Ripam, patriam noſtram, multis expoſitã periculis, omni terrore belli ruſtici, tetri & periculoſi, vicinia, celeritate & clementia eius liberatam, magnas præterea Chriſtophori Comitis & Lubecenſium copias, omnibus rebus ornatas atque inſtructas, ad Aſni-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

cium, Fioniæ vrbem, edita ſtrage in-
genti eſſe deletas: interfectis inter cæ-
teros penè innumeros duobus Comi-
tibus, vno ab Hoya, altero Tecceln-
burgenſi ex Vueſtphalia: iiſdem die-
bus ab eodē Rege deſignato, claſſem
magnam atq; ornatam, quæ ducibus
Lubecenſibus in Daniam peruenerat,
omniaq́ꝫ igne & ferro miſcere cœpe-
rat, ſuperatam eſſe atque depreſſam:
Haffniam bello & fame quaſſatā, poſt
obſidionem grauiſſimam in deditio-
nem veniſſe: cæteraſq́ꝫ vrbes Fioniæ,
Selandiæ, & Scaniæ, vno aditu atque
aduentu eſſe captas.

Multa prætereo conſultò, quæ, cùm
adhuc in recenti verſentur hominum
memoria, neminem latêre poſſunt.
Vnum hoc addam, quòd mox poſt
Haffniam ingreſſam, CHRISTIA-
NVS obſtacula omnia, quæ curſum
Euangelij renaſcentis impedire vide-
bantur, heroica animi magnitudine
ſuſtulit: variaſq́ꝫ Romanæ Eccleſiæ re-

liqui-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

liquias aut ſubitò ſedibus deturbauit, aut in eum redegit ordinem, vt auxilij plus, quàm periculi, ab illis Euangelio ſit expectandum.

Hoc tantum malum impietatis Papiſticæ, tam turpe, tam vetus, & multorum animis inueteratum, tam latè diuiſum atque diſperſum, quis vnquã arbitraretur aut ab omnibus principibus vno anno, aut omnibus annis ab vno principe, funditus eradicari potuiſſe? Sed quia

Nullius eſt felix conatus & vtilis vnquam,
Conſilium ſi non detq́; iuuetq́; Deus:

gratiæ Deo agendæ ſunt, qui inuictam Regis fortitudinem in periculis, & verè pium pro gloria Chriſti zelum, felici euentu coronare dignatus eſt: vt eius auſpicijs non ſolùm ab hoſtibus corporum, ſed etiam à captiuitate animarum, plùs quàm Babylonica, liberari poſſemus.

Tandem deuictis, fugatis & captis hoſtibus, duces ipſi, qui bellorum au-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

tores fuerant, vnà cum ingenti multitudine, tanta humanitate dimiſſi ſunt, vt difficile dictu ſit, vtrùm magis virtute eius hoſtes pugnantes timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint.

Pace deniq; non ſine laboribus & difficultatibus acquiſita, CHRISTIANVS III. vnà cum regina Dorothea, Haffniæ coronam horum regnorum ſibi ritu ſolenni imponi curauit: anno à nato Chriſto 1537. Dominica poſt feſtum Laurentij proxima, quæ eo anno in diem Auguſti duodecimum incidebat, huius Chriſtiani natalem.

Et ab eo tempore, vſque ad extremum vitæ halitum, his terris magna cum laude præfuit, annis ferè 22. quibus ſi biennium addideris, quod ab electione ad coronationē eius interceſſit, apparet eum totos 24. annos regio munere perfunctum, quod anno ætatis ſuæ 32. incepit, & tanta dignitate adminiſtrauit, vt omni virtutum

genere

genere non modò proprijs ſubditis, ſed & vniuerſis Europæ regibus antecelluerit.

Etſi autem tota eius vita & gubernatio politica multis excellentibus virtutibus ornata fuit: nos tamen eas potiſſimùm deligamus, in quibus cũ Ezechia, Ioſia, Theodoſio, atque id genus pijs principibus conuenit. Conuenit autem in plurimis, adeò vt expreſſam Chriſtiani regis, ac præcipuè Ezechiæ imaginẽ in eo eluxiſſe haud immeritò dixeris.

Nam ſiue pietatem ſpectes, ſiue inſtaurationem cultus Dei, ſiue euerſionem idolorum, ſiue tranquillitatis pacisꝗ́ ſtudium, ſiue denique ardentem in morbis & periculis omnibus inuocationem veri Dei conſideres, inuenies in vtroꝗ́ ſimilia multa, quæ pulcherrimè inuicem conferri poſſunt.

Videtur itaꝗ́ mihi breuiter de his dicendum. Ac primùm de pieta-

te,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

te, quæ,quanta in hoc noſtro rege fu-
erit,nemini dubium eſſe poteſt. Is e-
nim Regni gubernatione accepta,
non tam nomine, quàm ipſa re, ſe &
Chriſtianum & Regem eſſe declara-
uit: vnicè præ cæteris principibus in
hoc ſolicitus, vt doctrinam Chriſti ſi-
bi optimè cognitam propagaret, &
per vniuerſum hoc regnū Danicum
piè & conſtanter diuulgari curaret:
qua re tandem effecit, vt terræ Borea-
les, remotiſſimis marium interuallis
diſſitæ, & tamen imperio eius ſubie-
ctæ, Gotlandia, Noruegia, Farenſes
inſulæ, & Islandia, liberatæ à ſuperſti-
tioſis hominum traditionibus, ſince-
ram Euangelij doctrinam acciperent.
Atque ita inueteratam Papiſtarum ido-
lomaniam, à patre ſuo, piè & felicis
memoriæ, FRIDERICO I. op-
pugnari cœptam, tanta felicitate e-
uertit, ſuſtulit, extirpauit, vt ad propa-
gationem veræ doctrinæ diuino quo-
dam conſilio natus eſſe videatur.

Præte-

Præterea habitâ deliberatione cum Senatu regni, & viris doctrina & judicij rectitudine excellentibus, ordinationem Eccleſiaſticam conſcribi fecit: quam cùm Luthero & alijs ſcholæ Vvitebergenſis Theologis non diſplicere intellixiſſet, ſuo etiam & totius Senatus ſuffragio approbauit: maximè cùm in ea contineantur omnia, quæ ad conſtitutionem Scholarum & Eccleſiarum, adeoq; ad obſeruationem licitam piarum & vtilium ceremoniarum pertinent.

Et tandem, vt ea, quæ in ordinatione piè ſancita erant, feliciorem haberent ſucceſſum ad gloriam Dei, & vberiorē Euangelij propagationem: ſeptem in hoc regno Daniæ, & quatuor in Noruegia, Superintendentes Eccleſiarum eſſe voluit, eruditione, pietate & morum innocentia celebres: qui curam paſtorum idoneorum Eccleſijs præficiendorum haberent, & cœptam Euangelij diſſemina-

tionem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

tionem ad meſſem perducerent: habita ſimul verè pauperum ratione, quibus vitæ neceſſaria in noſocomijs liberaliter exhiberentur.

Deinde Eccleſijs bene conſtitutis, Scholas tanquam ſeminaria adiungendas ſtatuit, in quibus literæ & artes bonæ traderentur, vt ſine quibus miniſterium Verbi diuturnum eſſe non poſſet.

Cùm autem Scholæ ſint non ſolùm Eccleſiæ ſeminaria, ſed quædam veluti pietatis & honeſtatis officinæ, in quibus ingenia, etiam ad reliqua vitæ genera ſubeunda, præparari debent: ſapientiſſimo conſilio curam Scholarum ab hoc Rege inſtitutam perſpicimus.

Vidit enim ſemper diuino conſilio cœtus Scholaſticos Eccleſijs adiunctos fuiſſe: vidit ſummos doctores, Eſaiam, Eliſæum, Iohannem Baptiſtam, Chriſtum & Apoſtolos, magna auditorum agmina habuiſſe; agnouit,

inſtau-

inſtauratorem veræ religionis in Eccleſia Vvitebergenſi, & vicinis locis, Doctorem Martinum Lutherum, felicis memoriæ, ſocium laborum & periculorum beneficio Dei habuiſſe clariſſimum virum Philippum Melanchthonem: qui, vt omni diſciplinarū & linguarum Eccleſiæ vtilium cognitione excultus erat, ita ſummum in ea ſchola inſtauranda locum haberet. Vnde factum eſt, vt hic Scholæ, ille Eccleſiæ potiſſimùm inſeruiret, ea dexteritate, vt & rudiores in doctrina religionis, & artibus humanioribus in vita neceſſarijs erudirentur, & tota vicinia inde Eccleſiarum gubernatores peteret.

Volens igitur CHRISTIANVS in hoc regno, præter Scholas cæteras, potiſſimùm Academiam Haffnienſem, ab auo ſuo Chriſtiano I. ante annos abhinc 80. fundatam, tunc autem motibus bellorum ferè collapſam, inſtaurare; id per doctiſſimos

viros

viros, ſcholæ Vuitebergenſis alumnos, effectum reddidit: & aucto profeſſorum numero, ſingulis certa ſtipēdia, vnde honeſtè viuerent, magna liberalitate attribuit.

Laudantur priſci Danorum Reges, quos aut templa extruxiſſe, aut collegia & alios cœtus ſcholaſticos inſtituiſſe, aut quoquo pacto religioni Chriſtianæ ornamento vel adiumento fuiſſe, memoriæ proditum eſt.

Haraldus V. omnium Chriſtianorum Regum in Dania primus, ſuaſu LVDOVICI Pij Imperatoris, Moguntiæ ante annos 734. vnà cum vxore, &, quos ſecum habuit, proceribus baptizatus eſt: & cùm per arma Saxoniæ à Cæſare impetrata, regno reſtitueretur, in reditu ſecum adduxit eruditum virum ANSGARIVM, cuius opera primùm veræ religionis doctrina in hoc regno, profanis gentium idolis etiam tum dedito, diſſeminari cœpta eſt.

ERICVS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

ERICVS III non ſolùm ipſe baptizatus eſt; ſed propoſito per totum regnum edicto, omnibus ſuis, vt Chriſtiani fierent, & veræ pietatis doctrinam amplecterentur, demandat. Anſgarium reuocatum, doctrina, baptiſmo & miraculis (vt fertur) clarum, magna reuerentia obſeruat, amicis intimis annumerat: & non modò per ipſum, vnà cum alijs prædicatoribus nonnullis, verbum Dei latè ſpargi & propagari facit: ſed ex illius conſilio, ante annos circiter 700. duo templa in his terris omnium antiquiſſima extruit: primum Sleſuicenſe, alterum Ripenſe, in hac noſtra patria.

Anſgarius autem Hamburgum redire cupiens, reliquit Rembertum diſcipulũ ſuum, & in Epiſcopatu Hamburgenſi ſucceſſorem, vt Chriſtianos νεοφύτους in his locis doctrina, exhortatione, & conſolationibus, aduerſùs imminentes perſecutiones confirmaret.

F HA.

HARALDVS VII. Gormonis III. filius, poſtquam præſente Othone I. ante annos 615. baptizatus eſt, vnà cum vxore Gunilda, & filio paruulo Suennone: (qui tum dictus eſt Suenotho, quòd eum Imperator Otho ex baptiſmo ſuſcepit) mox religionem labefactatam inſtaurauit: & Epiſcopatus erexit quatuor, Sleſuicenſem quidem & Ripenſem, reparatis piorũ templorum ædificijs: Roſchildenſem verò & Aruſienſem, templis nouis apparatu magnifico extructis.

Et hæc in diuinis rebus prouehendis induſtria tantam ei laudem pepererit, vt Helmoldus aſſerat, non ſurrexiſſe ſimilem ei inter omnes reges Danorum, qui tantam Aquilonis latitudinem ad fidem cognitionis veri Dei traxerit, & omnem terram Eccleſijs & miniſtris Verbi fecerit eſſe inſignem. Quare eum & inter martyres Chriſti glorioſos numerat, quòd à filio perfido & apoſtata, ob profeſſionem ac

propa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

propagationem nominis Chriſti, regno & vita priuatus ſit.

CANVTVS IIII. quem pleriq; ſanctum appellare ſoliti ſunt, Epiſcopos, & cuiuſcunq; ordinis clericos, benigniſsimis priuilegijs, decretis & honoribus adornare, & ſummis largitionibus demereri ſtudebat, cũq; eos ſibi maximè deuinctos, intimis conſilijs adhiberet, & plebem ſacrorum rudem, fruſtra decimarum penſioni aſſuefacere vellet: grauiſſimas tùm magnatum, tùm popularium offenſas contraxit: & partim Blacconis perfidia, partim manifeſtis ſuorũ, maximè Cimbrorum inſidijs petitus, anno regni ſui decimo, ante annos 481. propter ſtudium prouehendi & cõſeruandi miniſterium verbi, Othoniæ in æde Albani trucidatus eſt, cùm ante aram pronus Deo ſeſe commendaret: ex cuius ſanctiſſimis vulneribus, vt inquit SaxoGrammaticus, plus gloriæ, quàm cruoris effluxit: quippe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

præſenti vitæ exitu initium melioris accepit, hoſtili iudicio punitus, diuino ſeruatus.

VVALDEMARVS I. pio quodam zelo propagandæ gloriæ Dei, idolomanias Rugianorum vi prohibuit. Cùm enim illi idolum Suanteuitum, ex ſimilitudine nominis à ſancto Vito denominatum, ethnico ritu ſuperſtitiosè pro Deo venerarentur, creaturam anteponentes creatori; cui & præter cæteras ſacrificiorum impenſas, in peculium honoris annuatim (horribile dictu) hominem Chriſticolam, quem ſors acceptaret, litare conſueuerunt: Rex ante annos 390. ſimulachrum illud maximum, quo non aliud prophanius extitiſſe creditur, deſtructo fano eius, ſuſtulit: & per lixas in exigua fruſta, aptosq́ꝫ foco ſtipites redigi, & igni applicatum, concoquendis militum alimentis ſeruire fecit. Incolas autem Rugiæ per Abſolonem Roſchildenſium Epiſcopum

de

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

de cœleſti doctrina erudiri, & lauacro regenerationis in conſortium fideliũ Chriſtianorum aſſociari curauit, datis in ædificia templorum ſumptibus.

Hæc, & ſi qua ſunt ſimilia, Chriſtianorum regum facta, magna eſſe, & inſignia veræ pietatis indicia, quis non videt? quis non ijs laudem ſuam tribueret?

At ſi rationem ineamus, in quæ tempora gubernatio eorum inciderit, non deerit in nonnullis, quod vt nulla laude dignum, ita CHRISTIANVM III. regem ſanctiſſimum illis longè anteponat.

Nam licet tempore Anſgarij monaſteria fuerint Scholæ, in quibus iuuentus mediocriter in bonis literis inſtituebatur: & Epiſcopi adhuc ſuum fecerint officium, ita vt ſummis laboribus, & cum maximo vitæ periculo puram Dei doctrinam inter gentes profanas fortiter & fideliter prædicarent, & ſacramenta adminiſtrarent:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

tamen labeſcente paulatim puritate doctrinæ, tyrannis Pontificia confirmari, imò & adorari cœpit: exorta Monachorum agmina penè infinita, quibus, adeoq́ omnibus Pontificijs, ampliores, quàm decuit, honores etiam à ſummis monarchis, regibus & principibus exhibiti ſunt.

Illi igitur Reges, quos diximus, tam infelici ſeculo nati, etſi multa pręclarè ac piè geſſerunt, vt pijſſimis Imperatoribus & Regibus conferri poſſint: tamen næuis ſuis nō caruerunt, quòd Romanenſibus, qui columnæ Eccleſiæ videbantur, admodum addicti, nimiùm ſe ijs, præſertim Monachis, non ſine Regiæ dignitatis ignominia ſubiecerint, moti fortaſſis honeſta opinione de religione: vt non tam ipſi, quàm Pontificiorum ſuperbia ſit accuſanda.

At CHRISTIANVS III. cùm veram de Deo doctrinam amplecteretur, & ſciret ſibi diuinitus commiſſam

ſam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

ſam conſeruandæ doctrinæ curam, non ocioſos impiorum hominum cœtus amauit: ſed remotis ab officio docendi Pontificijs omnibus, in Academia ſua Haffnienſi hanc ipſam Euangelij doctrinam à probatæ eruditionis & pietatis doctoribus tradi, diſci, & ad poſteros propagari voluit, vt inde ſemper Eccleſijs & ſcholis idonei gubernatores peti poſſent.

Porrò vt omnibus, etiam poſteris, ad fontes doctrinæ cœleſtis aditum patefaceret, magnos impendit ſumptus, vt Biblia ſacra in Danicam linguam verterentur, & typis excuſa in ſingulis Eccleſijs reponerentur: ſecutus, vt apparet, exemplum Conſtantini Magni, qui ſuis impenſis ſacra Biblia aliquoties deſcribi, & ex ſuo mandato ad omnes nationes tranſmitti curauit.

Solitus eſt autem ipſe viros doctiſſimos, qui in ea verſione occupati erant, ſæpius admonere & cohortari, vt, etiamſi linguarum imperiti non

eſſent,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

eſſent, potiſſimùm tamen, quoad fieri poſſet, veſtigijs Lutheri inſiſterent, & eius verſionem Germanicam, quantum lingua pateretur, ſibi imitandam proponerent. Tanti fecit huius viri iudicium & diligentiam, cuius ſcripta legebat aſſiduè.

Huic de Eccleſijs ſolicitudini acceſſit ſumma eius pietas in priuata & domeſtica vita. Manè experrectus, diem ab oratione ardenti auſpicabatur: qua finita, diebus ſacris, & aliâs ſæpiſſimè, inſignes quaſdam è ſacris literis ſententias, additis commonefactionibus pijs, prælegere ſolitus eſt aſtantibus cubicularijs & familiæ aulicæ: quæ ad eum audiendum, non ſecùs ac ad publicas conciones, magna diſcendi auiditate concurrebat.

Ante prandium tempus aliquod cauſis cognoſcendis impendit, & ipſe iuſticiæ amans diligenter cauit, ne στρεψοδικήσης fieret, néue quid turpe in ſè admitteret per iniuſticiā: quin, quod

æquum

æquum eſſet ac bonum, tam plebeio, quàm patricio, tam pauperi, quàm diuiti tribueret.

In prandio adiunctos habuit doctos viros, Conſiliarios aut Theologos ſuos, cum quibus de hiſtorijs, aut religionis & reipub. ſtatu piè contulit, mouens interdum quæſtiones & diſputationes de rebus arduis. Vt enim ſincero amore doctos omnes complexus eſt, maximeque eos, qui Euangelij doctrinam profiterentur, quos fauore, muneribus & honore proſequi nunquam deſtitit: ita etiam præſentia & colloquijs eorum ſummè delectabatur.

A prandio, quoties publicis negocijs non occuparetur, ſtudijs humanioribus, ac præſertim mathematicis, aut lectione ſacra ſeſe oblectabat.

A cœna, non helluationibus, non aleæ deditus: ſed plerunque vel Pſalmos canere, vel hiſtorias elegantes legere ſolebat: donec peractis precibus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

ſuis, Deo ſeſe commendaret, & ſuaui muſicorum concentu oblectatus, ſomnum caperet.

Theodoſius II. ſcripſit ſua manu libros Noui teſtamenti, quorum aliquam partem quotidie legit.

Fertur & Alphonſus rex Neapolitanus Biblia ſacra, vnà cum Gloſſa (vt vocant) ordinaria, quatuordecies diligenter perlegiſſe, adeò vt non modò hiſtorias præcipuas, ſed etiam multas paginas, ad verbum memoriter recitare potuerit: & tamen diem, quo nihil legiſſet, ſibi turpiter perijſſe dolebat.

Tanta, ſi non maiori, diligentia erat CHRISTIANVS III. Plurimum enim temporis ſacræ lectioni tribuebat quotidie: & ſimul ſcripta Lutheri ac aliorũ piorum diligenter inſpexit, idque ea felicitate, vt magnos paulatim in vera pietate progreſſus faceret, & in æſtu tentationum ac periculorũ efficaciã Euangelij ſentiens, frequenter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

ter dulciſſimum cœleſtis doctrinæ nectar appeteret, ſeq́ꝫ eo recrearet: quod non, vt ille, putidis & feculentis hominum commẽtis, gloſſis ἀχλώσοις, interpretationibus obſcuris aut impijs turbatum, nec humanarum traditionum vappa malè dilutum: ſed ex fontibus limpidiſſimis, Lutheri interpretatione pia, perſpicua, & analoga fidei, priſtino nitori reſtitutis, affatim hauriebat.

Non dicam, quanta alacritate, ſine faſtidio, quamplurima hiſtoricorum monumenta euoluerit. Vnde factum eſt, vt annalibus patriæ etiam perluſtratis, præter cætera pleroſque Danorum reges, ferro & inteſtinis bellis abſumptos didicerit, ſuamq́ꝫ vitam Deo ardentiùs commendauerit.

Ac, vt breuiter, quod res eſt, dicam, tantum crebra piorũ & vtilium ſcriptorum lectione profecit, vt mentem ſacris verbi diuini ſententijs, & præceptis vitæ quàm optimè formatam

haberet:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

haberet: nec infeliciter regulam Nazianzeni ſibi obſeruandam proponeret, quam vtinam omnes non modò principes, ſed & ſinguli cuiuſcunq; loci atq; ordinis homines imis pectoribus infigerent.

ὁ νοῦς ἀεί σοι καμνέτω, τυπούμενος
θείοις νοήμασί τε, καὶ βίου λόγοις.

Taceo continuum orandi ſtudium, quo ſemper impendentes calamitates auertere nitebatur. Notum enim eſt, doctiſſimos homines in Germania & alijs regnis, ſācta ieiunia & litanias publicas, per vniuerſum regnum ſingulis penè annis ab hoc Rege inſtitutas, ſummis encomijs prædicare, & cōſtanter aſſeuerare, ſe nunquam tam pia, tam veterum regum ſimilia vidiſſe ieiunia, aut inuocationis exercitia: quibus non ſecùs, ac olim Niniuitarum rex, CHRISTIANVS ipſe alios exemplo haud contemnendo anteiret.

Nec fuit inanis & fruſtranea hęc pre

candi

cādi aſſiduitas, quin & Regi & regni incolis cōmoda afferret plurima; adeò vt pax diuturna, propagatio Eccleſiarum & Scholarum, & florens diuinis benedictionibus regnū, vicinis æmulis inuidiam nō leuem iniecerit: cùm cætera regna luxuries, vicijs, odijsq́ ſuperbia verteret: ita vt ea ob funeſtiſſima bella, & certamina ambitionum, vaſtationes, tyrannides, perſecutiones piorū, & ſeruitutes morte grauiores, acerbiſſimis doloribus, luctibus & mœroribus premerentur, & ruinam interitumq́ minarentur.

Adde, quòd vita Regi, valetudinario quidem, ſed oranti, miraculoſè prorogata ſit. Cùm enim ante annos aliquot Lundæ Scanienſium, & poſtea ſæpius ColdingæCimbrorum oppido, lethali morbo corriperetur, nec in arte medica vllus eſſet præſidijs locus reliquus, conſtat eum ſuis & ſuorum precibus immediatè à Deo vitā multorum annorum obtinuiſſe.

Quan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Quantum autem hic Rex alijs calcar ad ſimilia pietatis officia addiderit, quanquam ipſi videtis, tamen à me in dicendo prætereundum nõ eſt.

Hoc enim ſic fieri ſolere accepimus, vt, cùm homo imitationem intelligat, & imitando diſcat, Regum probati mores facilimè multorum animos alliciant ad imitationem: maximeq́ eorum, qui & honeſtatem amant, & in regno viuunt, aut domeſtica & familiari regis fruuntur conſuetudine, vt inquit Claudianus Stiliconem laudans:

Scilicet in vulgus manant exempla regentum:
Vtq́ ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Et Cicero ad Lentulum ſcribens: Sunt hæc, inquit, apud Platonem noſtrum ſcripta diuinitus, quales in Republica Principes eſſent, tales reliquos ſolere eſſe ciues.

Quare factum eſt, vt pio Regi pium fuerit ſatellitium, ſtudio pietatis in vulgus optimis exẽplis propagato.

Inciui-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Inciuile enim videbatur, miniſtrum ſtertere, aut aliud agere, Rege ſumma cum attentione concionantem audiente: inciuile videbatur, miniſtrum tacere, Rege canente: inciuile & impium iudicabatur, ſacram cœnam negligere, qua Rex vteretur ſæpiſſime.

Vidimus nobiles & aulicos cæteros concionibus frequentes & attentos vnà cum Rege intereſſe: vidimus cum gaudio & admiratione milites veteranos, non modò armis & rebus fortiter geſtis, ſed & pietate claros, alta voce Pſalmos exemplo Regis canere: vidimus eoſdem frequentiſſimo cœnæ Dominicæ vſu Regiā pietatem æmulari.

Ac ſolet mihi de his cogitanti in mentem venire illius temporis, quo Vvitebergæ præceptorem noſtrum clariſſimum, Dn. Philippum Melanchthonem, ſæpius audiui ſtatum Eccleſiarum noſtrarum, non ſine læta

gratu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

gratulatione prædicare, & ſocietati fidelium comparare, quæ tempore Chriſti, verſantis in Palæſtina, ac docentis, fuit in Capernao.

Quia vt illic jucundiſſimus erat paſtoris Iairi & Capitanei centurionis cum Chriſto conſenſus: ita & in hoc Daniæ regno amœno claruit hactenus ſumma Regis pietas, & erga veram religionem, Eccleſias & Scholas amor intimus: proceres & præſtantiſſimi quiq; regē pacificum dilexerunt, & eius exemplo adducti, nihil ea beneficentia antiquius ducebant, qua veræ religionis amorem ſummis charitatis officijs oſtenderent.

Doctores etiam verbi, ſimplici veritate contenti, vtiliſſimam in Eccleſijs concordiam retinuerunt: & Regis autoritatem veriti, nullas neq; doctrinæ purioris corruptelas, neq; calumnias aut hyperbolas Sacramentariorum, vnquam in vulgus ſpargere ten tauerunt.

Quod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Quod ſi in multis Germaniæ locis ſimili principum cura præcaueretur, non tantis conuiciorum plauſtris immeritò obruerentur viri & Theologi optimi: nec tot dolendæ & pernicioſæ Eccleſijs diſſenſiones in ſumma impunitate mendaciorum excitarentur à leuibus & petulantibus ingenijs, quibus vſitatæ fraudes ſunt, Panicis clamoribus rumuſculos ficticios ſpargere, & τερατολογίας καὶ θαύματα ῥημάτων quærere: vt ſummos ac clariſſimos viros, optimè de Eccleſijs meritos, ſuſpicionibus prægrauent, ſibi applauſus populares & eruditionis opinionem concilient, & rudiores in dubitationes aut errores perducant.

Audiſtis, quæ ſit diuina atque incredibilis pietas regis, qua non modò eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam longè ſuperauit.

Reſtant virtutes cæteræ, quas paulò antè commemorare cœperam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

quæ magnæ & multæ ſunt. Non enim ſola pietas in ſummo Rege quærenda eſt, ſed multæ ſunt virtutes eximiæ huius effectus, comitesq; virtutis: ſedulitas, ſtudium pacis, iuſticia, facilitas, liberalitas, fides in promiſſis, atque id genus præclaræ & heroicæ virtutes, quas omnes enumerare noſtri non eſt inſtituti.

Ac primùm quanta ſedulitate fuerit, tùm res eius præclarè geſtæ, tùm etiam ſymbolum, quo admodum eſt delectatus, ſatis commonſtrat. Eſt enim oratio mentis character: & mos hic apud Magnates inoleuit, vt ſua quiſq; apophthegmata & ſymbolum habeat vocale.

Quemadmodum Iulius Cæſar in ore ſemper Græcos verſus Euripidis de Phœniſſis habebat:

ἄπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, Τυραννίδος πέρι
κάλλιστον ἀδικεῖν τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Quod Cicero vertit in Officijs hoc pacto:

Nam

Nam ſi violandum eſt ius, regnandi gratia
Violandum eſt: alijs rebus pietatem colas.

Antoninus Pius ſæpe dixiſſe fertur: Malo vnum ciuem cōſeruare, quàm mille hoſtes occidere. Ab hoc adoptatus Antoninus Philoſophus fertur in ore habuiſſe Platonis dictum: Tunc florēt reſpub. quādo vel philoſophus regit, vel rex philoſophatur. Sapientiſſimus rex Neapolitanus Alphonſus, ad effigiem pelecani, roſtro elicientis ex pectore ſanguinem, ad pullos fouendos, addidit inſcriptionem: Pro lege & pro grege. FRIDERICVS Auſtriacus, Maximiliani pater, aſſiduè dixit: Diſſimulare qui neſcit, imperare neſcit. Maximilianus I. hoc ſymbolū, temperantiæ & prudentiæ præcepto compoſitum, habuit: Tene modum, & reſpice finem. Eius filius Philippus, pater Caroli V. dicitur hoc ſymbolo oblectatus: Quicunq; volet. Carolus V. frequenter ſymboli vice dixit: VLTERIVS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

Quorum quidem omnium gra-
uiſſimum eſt & modeſtiſſimum Al-
phonſi dictum. At modeſtiùs, & cum
maiori pietate, ſanctiſſimus rex CHRI
STIANVS III. duo ſymbola vſurpa-
uit, & in multis locis etiam ad ædificia
ornanda aſcribi curauit:

1. Zu Gott mein troſt allein/
Sonſt andern kein.
2. Ach Gott ſchaff deinen willen.

Sim licet innumeris hinc curis, inde pericſis
Cinctus, at amplector te, Deus alme, fide.
Omnia tu ſolus, mihi tu ſolatia præſtas:
Cætera nil proſunt, nil peritura iuuant.

Cuncta meis cedant, quæ fert tua Chriſte volū-(tas,
Vt tibi ſolliciti munera grata ferant.

Horum autem vt prius firmam re-
gis in Deum fiduciam, ita poſterius
ſedulitatem eius non vulgarem indi-
cat: qua non modò ipſe recta facere
nitebatur, & Deo placentia: ſed & pro
officio ſuo vrgebat ſtrenuè, & pijs vo-
tis

tis à Deo precabatur, vt in politia, Eccleſijs & Oeconomijs, bona, ſalutaria & Deo grata fierent ab omnibus.

Decet autem, vt ſymbolum illuſtriſſimæ eius Reginæ DOROTHEÆ, Dominæ noſtræ clementiſſimæ, laude digniſſimum, prioribus addatur. Ea enim, vt eſt eximia pietate, virtute, gratia, ita hoc dicto vtitur aſſiduè, & ſymboli loco habet:

Alles von GOTT.

A DEO omnia.

Quæ vox quot & quantas virtutes, omni præconio maiores, ei tribuat, ſingulis cogitandum relinquo.

Quanto prætereà ſtudio pacis fuerit, apparet ex bello mox poſt electionem contra graſſatores quoſdam ſuſcepto: quod ea animi moderatione confecit, vt nihil aliud, niſi pax quæſita videretur. Nec ſe bellis vllis ab eo tempore implicuit, ſed idem ſenſit, quod Martianus Imperator, cu-

ius ſymbolum fuiſſe fertur: Quando in pace viuere poſſumus, non eſt opus induere arma.

Nouit tot & tanta eſſe belli incommoda, quot ſunt pacis commoda: nouit bella per ſeſe doctrinas & diſciplinā delere: maluit ergo in pace Eccleſijs, politijs & ſcholis conſulere, quàm bello ijs vaſtitatem attrahere: mauit εἰρηνόποιος, quàm πτολίπορθος & eſſe & appellari.

Hoc pacis amore adductus Rex ſapientiſſimus, filio ſuo FRIDERICO II. in regni ſucceſſionem legitimè electo, homagium à ſubditis præſtari voluit, anno à nato Chriſto 1542. vt eſt in diſticho, quod ſimul & ætatem Principis & annum Domini complectitur.

En vt rex Danis lectus FRIDERICE vocaris,
Non anni plures octo fuere tibi.

Vidit enim optimus patriæ pater, ea re concordiā firmari, & nouis motibus occaſiones denegari. Habuit

ante

ante oculos ſummorum regum exemplum, quo ſibi id faciendum, quod illi fecerunt, iudicauit. Meminit idem ab auo & patruo ſuo factitatum: meminit Dauidem, Valentinianum I. Theodoſium, Carolum Magnū, Henricum Aucupem, eius filium Othonem I. Fridericū Auſtriacum, aliosq́ nonnullos Reges & Imperatores, hoc pacto ſubditis nō modò ſucceſſorem certum, ſed plerunq; etiam pacem & tranquillitatem, ab inteſtinis diſſenſionibus alienam reliquiſſe.

Non autē in pace diutina inani & ignauo ocio deditus erat: ſed fuit reuera φιλήσυχος καὶ δραστήριος quales fuiſſe Lacedæmonios ait Thucydides. Multa loca ædificijs ornauit, arces permultas ſuo ſumptu à fundamentis extrui fecit. In arce Haffnienſi bibliothecam nobiliſſimam inſtituit: & quoties per aduerſam valetudinem non impediebatur, ſingulas regni oras adijt ipſe. Fouit Eccleſias & ſcholas, ijſq́ reditus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 86 [35,-167 8°]

liberaliter attribuit: iuſticiam in diſciplina tuenda & politica iuriſdictione exercuit diligentiſſimè.

Nihil enim turpius, aut ſe indignius iudicabat, quàm in numero eorum eſſe iudicum, qui (vt inquit Comicus noſter) ſæpe propter inuidiam adimunt diuiti, aut propter miſericordiam addunt pauperi.

Et quia eam eſſe laudem in animũ induxit maximam, quàm maximè ſeruire ſuorum commodis, remq́ ad ſalutem & dignitatem populi adminiſtrare: curam legum honeſtarum & vtilium non modò non recuſauit, ſed etiam cùm pleræque leges, à Vualdemaro II. ante annos 325. latæ, correctionem quandam poſtularent, propter circumſtantias perſonarum, negociorum & locorũ hoc tẽpore à prioribus diuerſas: ipſe aliquoties poſt ſuſceptã horum regnorum gubernationem, ac præſertim vltimo vitæ & regni menſe, ſuas quasdam leges poſitiuas, non ſi-

ne

